GAUDEO

John Carter Brown.

n/

Le



Retrato de N. S. de Copacauana i guia Protectora del Imperio del Perû.

1 Le Clerc 1639–57/

sup

DE DIVA VIRGINE, COPACAVANA, IN PERVANO NOVI MVNDI Regno celeberrima.

LIBER VNVS.

Quo eius Origo, & Miracula compendio deſcripta.

A P. HIPPOLYTO MARRACCIO Lucenſi, è Congregatione Cleric. Regul. MATRIS DEI.

AD PHILIPPVM IV. HISPANIARVM Regem Magnæ Dei Matris Mariæ Cultorem Magnum.



JOHN CARTER BROWN

ROMAE, Apud Hæred. Colinij. 1656. *Sup. Perm.*

Quia fecit mihi magna, qui Potens eſt. Luc. I.

FRANCISCVS GVINISIVS
Clericorum Regularium Congregationis Matris Dei, Rector Generalis.

CVm opus *inſcriptum*. De Diua Virgine Copacauanà in Peruano noui Mundi Regno celeberrima. Liber vnus, quo eius Origo, & Miracula compendio deſcripta à P. Hippolyto Marraccio Lucenſi noſtræ Congregationis: *duo eiuſdem Congregationis* Patres, *quibus id commiſimus, examinauerint, & approbauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur: ſi ita videbitur ijs, ad quos ſpectat. In quorum fidem has litteras manu noſtrà ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Romæ, in Domo noſtra* S. *Mariæ in Campitello die* 10. *Iunij* 1656.

Franciſcus Guiniſius Rector Generalis.

Loco † Sigilli.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs, P. Mag. Sac. Pal. Apoſtol.

M. A. Oddus Epiſ.Hier. Viceſg.

Imprimatur.

F. Georgius Rainoldus Mag. & Reuerendiſs. P. Raynun di Capiſucchi, Sacri Pal. Apoſt. Mag. Socius, Ordinis Prædicatorum.

MARIAE DEIPARAE Virginum, ac Matrum Maximae.

Quam

Originem Lucri *appellat Leo VI. Imperator*, In Mariali Romæ edito Or. 6

Originem Principij B. *Petrus Damianus*, In Homil. de Natiu. B.V.

Originem Primæ lætitiæ S. *Anaſtaſius Antiochenus*. In Orat. 2. de Annunciat.

Originem Salutis, & Virtutum *Innocentius Papa 3*. In Serm. 2 de Aſſump

Originem omnium Amœnitatũ S. *Ioannes Damaſcenus*. In Meneis Grecorum die 15. Ianuar

Originem Verarum Mundi Hilaritatum, *Eccleſia Græca*. In Meneis Græcorũ die 15. Maij.

Miraculum verò Miraculorum *nuncupat Iſidorus Theſſalonicenſis*. In Mariali Orat. 2.

Miraculum ſtupendum in Cœlis S. *Epiphanius*. In Serm. de Laud. Virg.

Miraculum Præcipuum in Sacrario diuino Repoſitum *S. Antoninus*. I. in Summa Theol. 4. p. tit. 15 cap. 24.

Orat. 2. de Laud. V. Miraculum Præſtantiſſimum, Vniuerſi Orbis Terrarum *S. Ephren Syrus.*

Homilia in Hipap. Miraculum Magnum Mundi. *S. Ioannes Chryſoſtomus.*

In Serm. de Annunciat. Ac Miraculum, nec ipſis Seraphim ſatis celebratum. *Ioan. Geometra.*

Libellum hunc
De Origine, & Miraculis
Celeberrimæ eius Imaginis *Copacauanæ, in nouo Mundo,*
quem numine eius inchoatum,
ac numine eius item abſolutum,
Nomini ac cultui eius propagando
pietati, & deuotionì augendæ,
nunc in lucem euulgare audet,
ſumma ipſius benignitate fretus,
in æterni cultus atque obſequij
nunquam morituri
monumentum,
quanto fingi, aut optari poteſt ſtudio, & amore, Clementiæ
eius perpetuus Orator.
ac Clietũ ipſius infimorũ minimus
dat dicat conſecrat.

Hippolytus Marraccius.

PHILIPPO IV.

HISPANIARVM,

Indiarumquè Regi Catholico

Magnæ Matris DEI *MARIAE Cultori Magno.*

SI non ſponte mea, ac pronæ voluntatis impulſu (quem ſanè intimum maximumque in me ſentio) acriter vehementiſſimequè incitarer, vt hanc Diuæ Virginis Copacauanę Hiſtoriam latinis à me litteris exaratam, benigniſſimo Maieſtatis Tuæ patrocinio humilis, ac venerabundus offerrem: deducerent me tamen, imò impellerent, ad Te, tum Hiſtoria ipſa, tum eximia tua in Virginem pietas: neque hæc tam admiranda Marianæ apud Deum potentiæ in Indijs patrata monumenta, Alteri, quam Tibi, offerri ac conſecrari paterentur. Etenim cum Copacauanū

in India ſolum, Deus Opt. Max. Ma-
tris ſuæ Imaginem, tot prodigijs nobi-
litat, ac innumeris beneficijs in cala-
mitoſos deriuatis celeberrimam reddit,
tui iuris, ac curæ ſit, Tibique ditiſſimis
ſimulque amantiſſimis obſequijs famu-
letur. Quis libellum hunc de clariſſimis
eiuſdem Imaginis operibus à me con-
ſcriptum, Vnico tuo nomini dandum,
ac tuæ tutelæ, arbitrioque tantummodo
conſignandum non dijudicet? *Quæ*
Peruani Regni ſunt, cum tua ſint, non
alium à Te Dominum patiuntur, & dũ
Auguſtiſſima Dei-Mater locum ad mi-
racula patranda delegit tuo iuri, ac pa-
trocinio ſubiectum, tuo etiam iuri, ac
Patrocinio omnia, quæ ad eum perti-
nent, quis dubitet ſubieciſſe? Iure igi-
tur Dominij hanc Tibi vendicas lucu-
brationem, Regum Pientiſſime, ac Po-
tentiſſime, & cum gratior, & accep-
tior Dominis eſſe ſoleat fructus, qui ex
fundo percipitur, eorum dominationi
obnoxio, an non confidam libellum
hunc meum Tibi iucundiſſimum futu-

rum

rum cum de Diua agat illius *Regni*, cui Tu feliciſſimè, ac ſapientiſſimè dominaris?

Meritiſſimè igitur currit ad Te, quod cum in tuo ſolo, ac fundo natum ſit, omni iure tuum eſt: & cum eos benignà excipias, qui ex tuo Peruano Regno Tibi afferunt aurum, argentum, & incomparabilis valoris gemmas pretioſas, ego ante Maieſtatis tuæ thronum omni, qua poſſum, veneratione prouolutus; deſpici à Te nequaquam poterò, dum ex eodem Regno theſaurum affero ſimulque offero, quo nihil hic Orbis, quaquà patet, vniuerſus, atque adeo Cœlum ipſum, Deo vnò excepto, maius habet, aut pretioſius poſſidet, Dominam ſcilicet Mundi, Reginam Cœli, Angelorum Imperatricem & verbo vno Matrem Dei Mariam, in ſua Imagine Copacauanà prodigijs, ac portentis admirabilibus coruſcantem.

Nec ſolum Iure Dominij hanc Tibi vendicas lucubrationem, ſed eam etiã vectigalem Tibi facis eximiæ tuæ erga

Dei-

Deiparam Virginem titulo pietatis; qua adeò ſuper omnes emines, vt omnia, quæ ad Deiparam ſpectant, in tui cultum atque obſeruantiam cogas, & illa tamquam propriè tua, magnetis inſtar, in tui obſequium, ac tributum venire compellas. Eo affectu Deiparæ famularis, vt congruum imò debitum omnino ſit, omnia, quæ Deiparam tangunt, Tibi etiam debitis obſequijs famulari: & tot titulis, ac nominibus Reginæ Cœlitum mancipatus es, vt quæ hanc aliquo modo redolent, Tuo quoque nomini ſe tota in mancipia tradere teneantur. Teneros erga Auguſtiſſimam Deiparentem affectus, atque amores cum lácte nutricis bibiſti, cum ijs etiam adoleuiſti, & cum ijs hucuſque in dies talia ſemper incrementa ſumpſiſti, vt illa mirari potius Orbis valeat, quam imitari. Nulli cedis in cultu, & veneratione Deiparæ, quia nullum plus gratiarum beneficiorumque cœlitus à Deo, illius Materna cura atque interceſſione, obtinuiſſe arbitraris.

ris. Sciens Mariam eſſe illam,per quam Reges regnant , ſub eius ductu, atque auſpicijs Regna tua gubernare non deſinis , vt fœlicia ipſe poſſideas , & poſteris tuis illa relinquas florentiſſima . Magnæ *D*ei Matris cultum reputas veram , ac ſolidam regnandi artem ; ~~nec regnandi artem~~; nec regnandi ſolum , ſed regnum etiam propagandi . Marianam pietatem à maioribus tuis conſtantiſſimè ſemper cultam , eorum veſtigijs inhærens , non ſolum firmiſſimè retines , & ſolidiſſimè conſeruas , ſed nouis expreſſiſque in dies amoris , ac reuerentiæ ſignificationibus pretioſiorem reddis,& auctiorem. Poteſtne PHILIPPI IV. audiri nomen , quin ſimul intelligatur Magnus Magnæ Dei Matris Cultor , ac perfectiſſima Marianæ *P*ietatis Idea? Sacroſanctæ *D*ei Genitricis obſequium , amorem cultum ſic æſtimas, vt profitearis , ſic profiteris , vt exerceas , ſic exerces ut doceas ſic doces, vt exemplo omnibus perſuadeas ; & vt *R*egia dignitate maximus ; ita Mariana pietate omnes facile ſuperas .

ras . Nulla in Te reperitur ſatietas colendæ Virginis , & honorandæ ; & lucidiſſimæ honorum , ac dignitatum ſtellæ cum Auſtriaco ſanguine in Te fixæ , obſcurantur quodammodò à Marianæ pietatis Sole . Quis Albo Sodalitatis mancipiorum Deiparæ Virginis nomen ſuum libentiſſimè inſcripſit, ſibique magno ſemper honori duxit cõpedes gerere , & mancipium illius eſſe, & dici, quæ Immortalis Cœlorum terrarumq; Regina eſt?PHILIPPVS. Quis Feſtum ter ſancti, ter auguſti, ter maximi Nominis Mariæ , vt tum Matriti , tum alibi per Toletanam Diæceſim quotannis ſolemni ritu celebrari poſſet à Summo Pontifice ſuis precibus obtinuit ? PHILIPPVS. Quis item Feſtum Præſentationis Sacroſanctæ Dei Genitricis , ab octingentis nonaginta amplius annis, in Orientis Eccleſia , ad eiuſdem SS. Dei Genitricis laudem, gloriam , & honorem , Matriti in Templo S. Mariæ de Atocha ſolemni pompa, & feſto apparatu ſingulis annis perpetuo
coli

coli iuſſit? PHILIPPVS. Quis Eccleſiæ B.Virginis Lauretanæ, in ſuæ ſubmiſſiſſimæ pietatis monumentum, veſtem ſex millibus, & quadringentis adamantibus inoculatam, & ſcutis vigintiquinque millibus æſtimatam dono miſit. PHILIPPVS.

Certè, cum ad inſigne aliquod opus. & tua Regià Maieſtate, ac liberalitate dignum, quod perpetuum tuæ aduerſus Deiparam pietatis monumentum eſſet, hic in Vrbe fundandum inſtituendumque, iam à multo tempore animũ mentemque conuertiſſes; anno tandem huius Sæculi 47. Patriarchali Baſilicæ S.Mariæ Maioris, in tuæ erga hanc propenſioris tutelæ, ac protectionis, quas profiteris, affectum, quatuor mille ſcutorum perpetuum redditum, in Canonicos, & Cappellanos eiuſdem Baſilicæ diſtribuendum Regia Munificentia aſſignaſti: cum obligatione, vt ſingulis annis in perpetuum, in feſto ſcilicet Natiuitatis B. Virginis, & in feſto S. Ildephonſi eiuſdem B. Virginis Cappel-

pellani, ad Altare Imaginis Deiparæ, à S. Luca depictæ, ibi in Cappella Pauli V. aſſeruatæ, celebritate, & pompa prorſus Regia, ſolemnia ſacra peragerentur: & ibidem diebus ſingulis, pariter in perpetuum, pro tua tuorumque ſalute, & pro Regni tui ſpirituali, & temporali proſperitate, & augmento Miſſa priuata, à Cappellano Regio per Te, vel per tuum apud Sedem Apoſtolicam Oratorem deſtinando recitaretur.

Pietas tua erga Myſterium Conceptionis B. Virginis ſemper & vbique Immaculatæ, cui non innotuit? Dixi alias dum in Regibus Marianis de eximia tua erga Cœli terræque Reginam pietate, ac veneratione agerem, Te, cum vix Ephebus habenas Regni moderandas accepiſſes, inter bellorum ſtrepitus, & ampliſſimi Dominij curas, pio erga Sanctiſſimam Virginem ſtudio motum, ac eius Conceptionis Immaculatæ promouendæ ardenti deſiderio incenſum, vt feliciter clauderes, quod pijſſimi tui

Pro-

Progenitores aggreſſi fuerant, magnificam, ampliſſimamque legationem ad Gregorium XV. Pontif. Max. deſtinaſſe, vt tanti Myſterij definitionem, vnicum malorū tui Regni remedium, cordata humilique apud Sedem Apoſtolicam interceſſione efflagitares. Dixi, Te inter Sodales Congregationis puriſſimæ Conceptionis, Matriti, in Regio S. Claræ monaſterio inſtitutæ referri voluiſſe, & vſque ad extremum ſpiritum, Beatiſſimæ Virginis ſine macula conceptæ decus propugnaturum, voto ac iuramento ſpopondiſſe. Dixi, Te Feſtum Puriſſimæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, quod cum Octaua in Franciſcano Cœnobio Diſcalceatorum Matritenſium, ſolemniſſimo, ſplendidiſſimoque, verèque Regio apparatu, quotannis peragitur, ampliſſimis perpetuis prouentibus ditaſſe, & quamuis publicis curis diſtentum, tamen eidem feſto, quater ſaltem in octaua, ſumma cum deuotione ſemper aſſiſtere conſueuiſſe. Dixi denique, Te, Sanctiſſimo

Do-

Domino Innocentio X. vt feſtum Conceptionis B. Virginis, quod recolendæ memoriæ Pontifex Vrbanus VIII. in conſtitutione de obſeruatione feſtorũ non enumerauerat, Hiſpaniarum *Re*gnis, quibus fuerat ſemper colendiſſimum, reſtitueretur, precibus ſupplicaſſe: & ab eodem per *D*iploma Apoſtolicum die 10. Nouembr. anni 1644. expeditum, quod ardenter expetiueras, feliciter adeptum eſſe. Addo nunc *Te* ita Immaculatam Deiparæ Virginis Cõceptionem colere, vt tanquam præcipuus, & maximus eius propugnator, ac vindex, nihil omnino prætermittas, quod in hac re ad maiorem Virginis gloriam facere valeat: *T*ibique nullum obſequium gratius eſſe poſſit, quam quod pro Intemeratiſſima Dei Matre, ſine Originalis peccati macula concepta, in *Te* confertur: Pietatem erga Myſterium Conceptionis Immaculatæ, tanquam hæreditatem antiquam, & præſcriptam ab Auis, Proauiſque in *Te* tranſmiſſam; non ſolum poſſides, ſed

in dies

in dies excolis, & auges; nec dici poteſt, quam incenſis ſtudijs, pro intaminatiſſima, ac nullis vnquam maculis ſubiectà Dei Matre, hucuſque laboraueris, & labores. Indefatigabiles curas, contentioneſque à Te pro illibata Virginis gloria ſuſceptas, litteras verè aureas gemmeaſque, ad Summos Pontifices, S.R.E. Cardinales, alioſque Orbis Antiſtites, & Magnates pro immunitate Virginis ab originali ſcriptas, præclaroſque tuos pro Immaculata Conceptione Auguſtiſſimæ Dei Matris cônatus & ferè aſſidua molimina prẹſens ætas clamat, clamabit alterá, & clamando Maieſtatis Tuæ, tum in terris, tum in Cœlis, augebit gloriam ampliorem. Hoc vnum ſilere hoc loco non poſſum, atque ab vniuerſo Orbe audiri auidiſſimè expeto vocem tuam dignam Auſtriaci ſanguinis faſtigio. *Si controuerſiæ Immaculatæ Conceptionis definitio, penderet ex mea Romam profectione, ſtatim capeſſerem iter libentiſſimè, mequè ſummè felicem putarem, ſi ad hoc munus Vir-*

 gini

gini Dominæ Noſtræ præſtandum aliquid valerem. Et hic non exclamem, ò pietatem verè Regiam! O dìgnam Orthodoxo Principe uocem! O ardentiſſimi tui erga Deiparam amòris magnum, ac prorſus laudabile auctoramentum!

Laudent alij inſignem illam tuam, in tanta rerum mole, & tam vario negotiorum ſucceſſu, tranquillitatem mentis & conſtantiam: efferant tuam in tanta fortunæ indulgentia animi moderationem, inundantemque in omnes amorem, & beneficentiam: dicant Te non tuorum Dominum, ſed parentem: & cum Gregorio XV. Pont. Max. appellent Europæ Ornamentum, & Catholicæ Eccleſiæ gaudium: Auſtriacæ item Sobolis fulgentiſſimum lumen, iuſtitiæ & integritatis exemplar, & non ſolum Hiſpaniæ tuæ, ſed Orbis etiam vniuerſi delicium, & felicitatem. Ego enim ſummam tuarum laudum, atque encomiorum mihi attigiſſe videbor, ſi in Te tantum Marianam pietatem ſuſpiciens, Te Magnæ Dei Matris ſeruum humilem

dixe-

dixero, ac eiuſdem Cultorem Magnum prædicauero. Neceſſe eſt, ò Regum potentiſſimè, vt Maieſtas tua patienter licentiam, vel audaciam meam in dicendo ferat, cum ipſa crebris ſuis, ac ferè aſſiduis, erga Auguſtiſſimam Dei Matrem, reuerentiſſimæ pietatis obſequijs vberem loquendi materiam Epiſtolæ huic dederit, ac mihi promptam etiam audendi cauſam miniſtrauerit. Licet enim ardentiſſimi tui erga Deiparam affectus argumentis enarrandis inconditus meus ſermo, ſit omnino impar; me ipſum tamen continere non poſſum, quin aliqua ſaltem ex innumeris, quæ in Magnæ Deiparentis gloriam præſtitiſti, hic ad perenne præſentium, & poſterorum exemplum apponam. Scribam liberè, quia ea, quæ loquor, palam ſunt. Nonne Tu in Ornatum Sacelli planè admirandi Dominæ Noſtræ de Sacrario Toleti, in quo deuotiſſima B. Virginis Imago antiquitate, & Miraculis celeberrima, magna fidelium religione colitur, vltra centum aureorum millia,

Regia prorſus munificentia, erogaſti? Nonne Tu in Valle Ioſaphat propè Hieroſolymam, non longe à Getſemani, ante ſepulchrum, in quo iacuit olim corpus B. Virginis, tres aſſiduè lampades tuis ſumptibus ardere iubes, & Ordinis D. Franciſci Religioſis ſollicitis Mariani huius Sanctuarij curatoribus, omnia, quæ ad diuinum in eo cultum retinendum pertinet, liberaliter ſubminiſtras? Nonne Tu ſuperiori Anno 1655 ad protectionem B. Virginis implorandam, & gratias agendas pro beneficijs, ab Hiſpaniæ Regnis, interceſſione Dei Matris, à Deo acceptis, vt Dominica ſecunda Nouembris Feſtiuitas cum Miſſa, concione, ac generali ſupplicatione, ſolemni cultu ab omnibus in perpetuũ celebraretur, impetraſti, & pro huius feſtiuitatis Officio, & Miſſa propria ſub titulo *Mariæ Sanctiſſimæ Armorum Hiſpaniæ Protectricis*, Sedi Apoſtolicæ humiliter ſupplicaſti? Nonne Tu in nouem feſtorum B. Virginis peruigilijs, eidem B. Virgini colendæ ieiunium colis: ac

ea-

eadem feſta, omneſque Deiparæ Virgini dicatos dies religioſiſſima pietate veneraris? Tui erga Auguſtiſſimam Cœli Reginam deuoti cordis, ac religioſiſſimi affectus indicia, cum iam omnium oculis accipiantur, omnium præconijs extollantur, & in tot Templis, Aris, tabuliſque palam appareant, meo eloquio ac prædicatione non indigent. Quidenim hic memorem Sanctuaria Mariana in Hiſpania, & alibi, Miraculorum gloria, & frequenti populorum cultu famigeratiſſima, videlicet, Cęſarauguſtanum de Pilari, Guadalupenſe, Monſerratenſe, de Almudena, de Solitudine, de Remedijs, de Bono ſucceſſu, Hiſpalenſe de Antiqua, & de Regibus in Eccleſia Cathedrali, & de B. Maria de Mercede in Eccleſia eiuſdem Ordinis, de Puche propè Valentiam, de Oliua, de Salzeda, de Illeſcas, & alia, cum hæc omnia, me tacente, pietatem ſimulque munificentiam Regiam luculenter exprimant, ac vocibus ſonanti ære clarioribus loquantur? Sed inter cætera San-

ctuaria Mariæ Deiparæ dicata, quod dulcius animo tuo dominatur, & cordis tui intima amantius rapit, Sanctuarium eſt D. Virginis de Atocha, in Regia tua *M*atritenſi Hiſpanici Imperij Sede, Religioſiſſimorum Patrum Prædicatorij Ordinis curæ, ac ſollicitudini commiſſum. Ad hanc Diuam gratiarum mirandorumque fœcundiſſimam, (cuius cum laude, & gloria meminit *S*. Ildephonſus *T*oletanæ *S*edis Antiſtes) cum non ſemel ipſo experimento didiceris eam, deploratiſſimis in rebus, inſignem opitulatricem extitiſſe, pro tua, pro Eccleſiæ, ac pro Regnorum tuorum incolumitate, eius opẽ coram imploraturus, frequenter accedis, & quolibet die Sabbati non ſolum Sacroſanctum *M*iſſæ Sacrificium, quod ante eius Imaginem Sacerdos peragit, deuotè audis, ſed ſæpè etiam diuiniſſimum Chriſti Corpus in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, Auſtriaca pietate, & reuerentia communicas. Nec ignorans, quicquid ab æterno illo pe-

ren-

rennique bonorum ſonte Deo in terras profluit, fluere per *M*ariam, quotieſcunque, vel hoſtes à tuis copijs triumphatos, vel Regnis tuis aliquid fauſtum fortunatumqùe eueniſſe intelligis, ad eiuſdem Diuæ Imaginem, Matritenſiũ commune perfugium, feſtinus accurris, debitas, ac immortales Deo, ac Sanctiſſimæ eius *M*atri gratias pro beneficijs acceptis relaturus.

Neque hic inuoluere ſilentiò poſſum quod dum hæc Imago pro Eccleſiæ Catholicæ neceſſitatibus, itemque pro pluuia, in ſumma terræ ſiccitate, à *D*eo obtinenda, in ſupplicatione à Matritenſibus ſolemniter circumferretur: & interim tam inundans imber è Cœlo caderet, vt Cœlum ipſum in nubes liqueſcere, ac in terras defluere videretur. *T*u, qui eandem ſupplicationem tua præſentia honorabas, & Diuam tuam propè reuerentiſſimè ſequebaris, generoſiſſimæ pietatis exemplo, hilari ac ſereno vultu, per denſiſſimos imbres longo itinere ſemper pedes inceſſiſti, &

licet totus aquis madidus, non niſi tamen proceſſione abſoluta in tuam Regiam recedere voluiſti. Et hic cum admiratione non dicam: Aquæ multæ nō potuerunt PHILIPPI Regis extinguere erga *D*eiparam *V*irginem charitatem, nec flumina obruent illam?

Porrò in tuis erga *D*eiparam *V*irginem obſequijs prædicàndis, cum materia abundè ſuppetat, hic vlterius excurrerem, ni ingenij mei culpa penuriaque ea deterere vererer; & ni calamum in ijs recenſendis propè exultantem, iam omnibus cognita perſpectaque *T*uæ *M*aieſtatis modeſtia cohiberet. Dicerē *T*e honori B. Virginis ampliando ſtrenuè animis, opibuſque incumbere, & Athletæ inſtar, in ſtadio aſſiduè oculos ad metam brauiumque intendentis, *T*e mentem, affectum, ſenſuſque tuos omnes ad *M*arianum cultum nunquam non conuertere. Dicerem, *T*e tutiſſimas ſceptrorum *R*egnorumque tuorū Opes, non ærarium, non exercitus nō ſigna, nō Duces, non propagnacula, nō

excubias,nõ machinas, non armamenta, ſed poſt caſtum purumq; Dei cultum,ſin cerum in Deiparam famulatum exiſtimare, humileque, ſecundum Deum, erga Cœli Reginam obſequium pro prætoria cohorte, pro infracta triariorum phalange, ac pro firmiſſimo, ac palmari Imperantium præſidio apud Te eſſe. Dicerem Te nihil humile, aut deſpicabile reputare, quod *M*ariæ Auguſtæ ancillatur; ac adeo incenſum tuũ eſſe erga Dei Genitricem ſtudium, vt cum ferè omnia poſſis, hoc vnum tamen non poſſis, etiamſi velles, nempe ea, quæ ad Magnam Gratiarum Matrem dulcẽque Clementiæ parentem attinent, ſin Tui tutelam gratanter nõ ſuſcipere. Sed hæc & alia, quæ afferre poſſem, hac etiã de cauſa libenter omitto, quod tenerrimum tuum erga Auguſtiſſimam Dei Matrem affectũ exprimere mauis rebus præclarè geſtis, quam gaudeas illum, iuſtis licet Encomijs, celebrari.

Gaude, & exulta Regum Potentiſſime, nam ea, quam infatigabili affectu colis,

colis,quam feruentiſſimo ſtudio amplectéris, quam tenero, ac conſtanti obſequio veneraris, Te æternum inter Heroes conſtituet, & fatigatum bellis Imperium tuum in intimo tandem deſideratæ pacis gremio collocabit. Illa, cuius non ſolum ſeruus, ſed humile Mancipium, in excelſo humanarum rerum faſtigio conſtitutus, eſſe, & dici gloriaris, votis tuis benigna annuet, armis tuis propitia fiet, à Regnis tuis clades depellet, reddet in Auſtriaca familia perenne ſceptrum, facietque vt dilatata fide: ampliato Dominio, incolumis, Te Principe, Hiſpania perſeueret. *Sanè Tibi, & populorum fidem, & hoſtium oppreſſionem pollicíebatur haud temerè, Summus Eccleſiæ Præſul Gregorius XV. cum animaduerteret, quod eius Tibi Virginis Patrocinium conciliare ſtuderes, quam terribilem eſſe, vt caſtrorum aciem ordinatam, diuinâ Oracula teſtantur.*

Perge igitur, Rex Inuictiſſimè, clariſſimis obſequioſæ Pietatis erga Deiparã

Vir-

Virginem exemplis, vt hactenus feciſti in dies magis Chriſtiano Orbi prælucere: & dum Opuſculum hoc meum, ex præcordijs intimis animi, omnia fauſta, & proſpera apprecantis, *T*ibi offero; licet ab Authoris ſui arte, & ingenio Maieſtatis Tuæ conſpectu minimè dignum, eo ſaltem nomine, ac titulo gratum illud acceptumque habere non dedigneris, quod de illa agat, quæ Centrum cordis tui eſt, & quam tanquam Reginam Seruus, & Patronam Cliens, omni, qua potes, animi ſubmiſſione veneraris. Quo etiam nomine, ac titulo benignè aſpicere, ac in clientelam tuam amanter recipere non graueris me mortalium certè poſtremiſſimũ, ſed Deiparæ Virginis infimum ſeruulum: & Congregationem item meam, omnium quidem minimam, at præ omnibus tuo obſequio deditiſſimam, quam Venerabilis Pater Ioannes Leonardus lectiſſimę pietatis, ac probatiſſimæ Virtutis Heros, in Lucenſi Ciuitate (quæ ſub Auſtriaca protectione libero imperio

ſuos

ſuos regere gloriatur)primo Auctoritate Apoſtolica fundauit, ac Auguſtiſſima Dei Matris Nomenclatura inſigniuit. Interim Miſericordiæ Matrem enixiſſima ſupplicatione obteſtor, vt validis ſuis apud *D*eum precibus Maieſtatẽ tuam diutiſſimè ſeruet incolumem, & ad Hiſpaniæ vlterius bonum, Orthododoxorum emolumentũ, plenamq; Mundi fęlicitatem, Alijs Auſtriacis *P*ræde-ceſſoribus tuis iam in Cœleſti *R*egno im marceſſibili beatitatis laurea coronatis ſero adiungat. *R*omæ in ædibus S. Mariæ in Campitello die 18. Maij Anno à Virginali Partu *1656.*

Maieſtatis Tuæ

Cliens æternum deuotiſſimus

Hyppolytus Marraccius.

D E

DE BEATA VIRGINE
COPACAVANA,
IN PERVANO NOVI MVNDI
Regno celeberrima.
Scribendi Operis Occaſio.

CAPVT I.

CVM ſuperiori Anno 1655. die 8. Septembri Romæ, in Eccleſia S. Ildephonſi Patrum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini Nationis Hiſpanæ; pulcherrima Beatiſſimæ Virginis Imago, ad illius, quæ in Nouo Mundo de Copacauanà dicitur, exẽplar expreſſa, tabula prægrandi 18. palmorum Italicorum altitudine, in altari eius rei cauſa ab ijſdem Patribus exædificato, fuiſſet collocata; tametſi & eorundem Religioſorum Virorum modeſtia, & loci anguſtiæ multa, ad publicæ cele-

celebritatis rationem pertinentia, videlicet Muſicorum concentus, ſacrorum ſupellectilium præſtantiam, quæſitamque primorum virorum frequentiam, non patiebantur; non defuere tamen & eo die, & per octo ſequentes, quæ & religioſam paupertatem decerent, & pro rei dignitate ſufficere viderentur. Affuere inter cæteros Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Præſules D. Ambroſius Landuccius Senenſis ex Eremita Auguſtiniano Epiſcopus Porphyrienſis in Partibus, & Sacrarij Apoſtolici Præfectus, ac *D.* Ioannes de *P*aredes Hiſpanus, Epiſcopus Caſtri maris, in *R*egno Neapolitano; ac rei diuinæ ambo operati ſunt. Octauo verò poſt die, præter eundem Landuccium, acceſſit, & Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Iulius Rôſpiglioſus, Piſtorienſis, Archiepiſcopus Tarſenſis, Pontificius olim apud Hiſpanum Regem Nuncius, & nunc Sanctiſſimi Domini Noſtri ALEXANDRI VII. in negotijs Status Sacretarius poſthabitis pietati maximis, & grauiſſi-

mis

mis curis ad ſuam prouinciam pertinentibus,vt ibidem vterque Sacra perageret. Cumque de Imagine *iſta* Romæ hactenus minimè viſa, quam effabrè egregij pictoris penicillus effinxerat, *Re*uerendum admodum Patrem Magiſtrũ Michaelem de Aguirre Auguſtinianum, Prouinciæ Peruntinæ alumnum,qui præſens erat,& Mariani honoris promouendi ſitientiſſimus, vt prædicta Imago illic ad populorum cultum venerationemque exponeretur, potiſſima cauſa extiterat, curiosè percunctarer. Hæc, inquit ille, eſt Imago Imaginis Diuæ Virginis Copacauanæ in Peruano noui Mũdi Regno miraculorum gloria venerabilis; ex qua tanquam ex horto,ſeu Paradiſo voluptatis miraculorum flumina fluxerunt hactenus, & in dies fluunt,gratiarum cumulos velut vndas voluentia in vtilitatem eorum, qui ſincera fide ad eam illic accurrunt. Quod enim eſt Belgis Diua Hallenſis, Hiſpanis Guadalupenſis, Gallis Anicienſis, Polonis Claramontana, Italis Lauretana, hoc eſt

Indiæ

Indiæ Incolis Diua Copacauana. Ibi Auguſtiſſima Dei Mater plena manu bonitatis ſuæ diuitias prodigè effundit, & miſericordiarum fontes largiſſimos aperit, vt quiſque hauriat inexhauſtos. Ibi auxiliari ſua potentia dexteram indefeſſam in animo, & in corpore, in periculis, in calamitatibus, in languoribus, egentibus porrigit: & inſtar Occeani terram ambientis, ſuis beneficiorum vndis omnes ad ſe accurrentes continuo immergit. Quæ ibi Deus Opt. Max. Genitricis ſuæ honori augendo crebra, & ferè aſſidua miracula patrat, claudos erigendo, cæcos illuminando, morbidos perſanando, mortuos ipſos ſuſcitando, & vera vitali luce iterum donando, nemo non meritò miretur, cum ſupra captum, aut fidem hominum ſint, & naturam ipſam vincant. Et cum hæc, & plura alia de Imagine illa me ſumma animi alacritate, ſimulque benignitate edocuiſſet, licet eſſet tenuitatis meæ optimè conſcius à ſingulari tamen ſua beneuolentia in me abductus, auctori-

tate

tate ſua (quæ in me omnia poteſt) conſilio, exhortatione, præceptoque coegit, vt ad Hiſtoriam eiuſdem *Diuæ* Virginis de Copacauanà in Nouo Mundo plurimorum miraculorum effectricis, litterarum monumentis conſignandam animum, mentemque conuerterem.

Non potui Amiciſſimi Viri, & Patroni ſemper & vbique mihi colendiſſimi precibus imperioque non acquieſcere, in re præſertim, in qua de Deiparæ Virginis gloria cultuque agebatur; ſummopere gaudens memoranda, & admiranda, quæ Deus per Virginē Matrē in nouo Orbe patrat, in noſtro etiam propaganda eſſe, ac diuulganda, idq; muneris eo libētius ſuſcepi, quod eodē anno, nēpè 1583 in nouo Orbe hanc ipſam Beatiſſimæ Virginis Imaginem miraculis clarere intellexi, quo Congregationem Dei Matris (in quam me licet indignum fortunatiſſimè aſcriptum mihi ſummoperè, & placeo, & lætor) *Lucæ* in Etruria, Ordinarij auctoritate, primo erectam, inſtitutamque fuiſſe non ignorabam.

Perlegi igitur in hunc finem, quotquot inuenire potui, Auctores, probatos, & fide dignos, de B. Virgine Copacauana in nouo Mundo miraculis portentiſque famigeratiſſima differentes, atque ex eorum monumentis, hanc, quam exhibeo, eiuſdem Diuæ Virginis Copacauanæ Relationem, & ſincera fide decerpſi, & breui calamo exaraui.

Spero, mi Lector, Opellam hanc fore tibi, & omnibus iucundam, ſpero vtilem: cum in ea de illa agatur, quæ » teſte S. Iſidoro Archiepiſcopo Theſſalonicenſi in ſuo Mariali Orat. 4. *Eſt iucunditas noſtra incomparabilis, & quæ neminem ſibi obſequentem, ac ſerio ſeruientem aliquando abire permiſit indonatum.* Nullum aurum ex Peruano Regno, auri feraciſſimo, venit vnquam in Orbem noſtrum, Imagine D. Virginis de Copacauana pretioſius. Hanc tu igitur in hoc opere peramanter excipe, & omni, qua potes, animi demiſſione venerare: vt gratiarum ſuarum opulentia, te illa ditet diligentem ſe, & cordis tui theſau

ſaurum donorum ſuorum abundantia, repleat. Et dum tibi corporis, & animæ ſalutem millies animitus voueo, pro me etiam ſerio, & calidè roga, & Mariæ poſt Deum viue, vt viuas æternum.

D. Virginis Copacauanæ in Peruano noui Mundi Regno celeberrimæ Origo.

CAPVT II.

IN Peruuia, noui Orbis, ſeu Americæ Meridionalis parte non ignobili, & cæteris illius regionis prouincijs fertiliori, & locupletiori, centum quinquaginta paſſuum millibus à mari Auſtrali, ac totidem circiter à montibus tractuque nondum ab Indis, quos Chũchos vocant, perdomito, duæ ſunt prouinciæ fama nobiles Chucuitum, atque Omaſuyum, vtraque altitudine ſeptendecim graduum, ſitæ apud paludem maximam, Titicaccam nomine: cuius circuitus ſupra ducenta, & quadraginta paſſuum millia protenditur, continetque Inſulas nonnullas, inter quas cognominis paludi Titicacca, qua loci amœnitate, qua glebæ vbertate, qua

aquarum ſalubritate,& copia,qua tandē arborum frugiferarum, ac ſibi peculiarium bonitate principatum obtinet. Hic fuit Templum celeberrimum Soli ſacrū, totum aureo laterculo contectum, ad quod Inghæ (quæ vox patrio idiomate Reges, aut ſupremos denotat) ſella geſtatoria aurea famulorum ceruicibus ſublimes, ſe transferebant, vt nefaria ſacra humano cruore ibi peragerent. E conſpectu, continenti ſolo, apparet ad ſex millia paſſuum fortunatiſſimum Copacauanæ Oppidum, extremum in finibus, ac ditione Omaſuyorum. Hanc vero Inſulam tanti Inghæ faciebant, vt murum ei, quà adiri poterat, circumdederint, additis ad portas cuſtodibus, qui diligentiſſimè tuerentur, quique accedentes, religionis cauſa, ad Fanum Solis deducerent, traderentque Sacerdoti culparum Vindici, à quo pro grauitate facinorum, quæ fatebantur, pœnæ diſpenſabantur, humeris reorum, ac manibus ſaxo percuſſis, eiſque, vt à carne, ſale, pipereque abſtinerent, iuſſis. Qui-

bus

bus peractis Oppido Copacauanæ ſuccedebant, inter duo Montes Hallagua, & Quiſani ſito. Qui primus Imperatorum Ingharum Titicaccæ fanum inuiſit Topa Ingha Iupangue fuit; Is, qui Imperio ſuo adiecit omnem regionem à Quito ad Chile. Mox Patris exemplo Guanaccapac Ingha, poſtquam ad Indos, Paſtos, aliaſque nationes promouerat imperium. Hic vndecimus regnauit, Pater Guaſcaris Inghæ, & Atabalipæ Inghæ, qui magnis bellis, atque incurſionibus contendebant, cum claſſis Hiſpanorum eò aduecta opulentiſſimas terras primum occupauit. His breuiſſimè prænotatis de veteri Copacauanæ Templo, Inſulaque Titicaccæ, quo dilucidior narrationis noſtræ ratio conſtaret. Iam ad rem ipſam redeamus, ac exordia Sanctiſſimæ Imaginis Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Copacauanæ oppido proſequamur.

Annis circiter quadraginta ab Hiſpanorum in id Regnum ingreſſu, Peruanus ager, Februario menſe iam cæpto, ſequiſ-

ſæuiſſimi frigoris inſolentia extinctis ſegetibus præmetebatur. Huius mali cauſa maximo mœrore affecti incolæ, cum rei frumentariæ inopia cætera omnia, præmetuebant aliena, atque incommoda. In eam proinde ſententiam conuenere, vt ſocietatem ſub auſpicijs Beatiſſimæ Virginis inſtituerent, cui dies illius Purificationi Sacer feſtis honoribus perageretur. Verum obſtabatur ab ijs, qui iam aliam ſocietatem in honorem, D. Sebaſtiani Martyris coeundam deliberauerant, cauſantibus Oppiduli breuitatem, atque inopiam duabus Societatibus ſuſtentandis imparem. Res inter Ananſayos, & Vrinſayos, quos vocant, dilitigata, irrito, vtrinque ſucceſſu, hæſit, donec per D. Alphonſum Virachocham Ingham Regiæ familiæ virum, ad exitum deduceretur. Hic Potoſium cum veniſſet, D. Franciſcum Titium Iupangue conſanguineum ſuum, Deiparæ Virginis Purificatæ ſimulacrũ integrũ, quatuor palmorũ altitudine ex Ligno forſan Cedrino præ manibus habere intellexit,

cau-

cauſamque eius operis, cum ex ingenio viri ad illud artificij genus maximè procliui, cum ex voto quo ſe obſtrinxerat effigie Deiparæ Virginis propria manu elaborata terram ſuam cohoneſtandi; quicquid impenſæ incommodique perferendum eſſet, afferri audiuit. Cæperat autem Pridie Nonas Iunias anni 1582. Alphonſus igitur iterum optatæ Societatis conſtituendæ facultatem ab Epiſcopo impetrare animum inducit. Sed ex quodam ipſius Epiſcopi domeſtico, cum rem difficultatis plenam, nec facile exorandam ab Antiſtite, accepiſſet; ægrè ferens, quod voti ſui compos fieri minimè poſſet, ab incœpto deſiſtere, ſpemque omnem abijcere penè non deliberauit. Interea non ſine cœleſti conſilio, contigit, vt re cum Sacerdote quodam optimo communicata, eodem auctore ſpes erigeret, viamque ſibi ad eam facultatem impetrandam muniret.

Supplices itaque libellos ad Antiſtitem compoſuit, quos dum tradit, Franciſcus Titius Iupangue eius conſanguineus

neus opportunum tempus cenſuit Imaginem ſimul in tela obtendendi ſua manu depictam, ea ſpe, vt non facultatem tantummodo componendæ Societatis ſed & aliam ſibi peculiarem liberè Imagines effingendi, atque ſculpendi impetraret. Minimè verò profecit ea ſpe, riſuſque obtinuit, vnde laudem, & facilitatem ſperauerat, Antiſtite Ipſo cum domeſticis ruditatem operis artificiſque imperitiam effuſiori cachinno proſequutis. Non tamen idcircò pietate inſignis Indus ſeſe deſeruit, animique altitudine excidit, quin potius ardentioribus votis Deo Opt. Max. preces ferebat, quatenus: quod ob artificis imperitiam ab Hiſpanis, vt deridiculum, aſpernabatur, ipſe perficeret, facilemque negotio curſum pararet. Opus tandem Virginei ſimulacri inter ſpem metumque laborioſè abſolutum auro illiturus ad Vrbem Pacis deportauit, quo interim peruenit ab vrbe Platæ Alphonſus, de quo ſupra meminimus, cum facultate ab Antiſtite accepta Societatis fundandæ,

cu-

cuius in Albo primus numerari voluit. Compertumque eſt eodem penè tempo ris momento abſolutam effigiem, atque exoratam facultatem fuiſſe. Non dubitauit Alphonſus, quin Oppido ſuo Copacauanæ, vbi primum huiuſmodi nuntium acceperat, gratiſſima futura eſſet Deiparæ Imago, & Societatis Inſtitutio, ægrius tamen ab Vrinſayis, quicquid geſtum erat, auditum: qui tametſi, quod ad Societatis inſtitutionem pertinebat, annuere videbantur, magna tamen contentione effigiem illam, vtpote non ſatis affabrè, ab imperito artifice Franciſco Titio Iupangue elaboratam, recuſabant. Eorum clamoribus permotus Alphõſus litteras ad Franciſcum ea de re dedit, pluribus abhortatus, vt pretium operis ſui aliundè quæreret, quando Vrinſayis omnia ſua diſplicebant. Dum hæc ita geruntur Sacram Genitricis ſuæ Imaginem mirum in modum illuſtrare Deus cœpit, ita vt lapis, quem reprobauerunt ædificantes, factus ſit in caput anguli. Etenim cum apud Religioſum

gioſum quendam virum ex Ordine D. Franciſci in Ciuitate Pacis, Franciſcum Nauarrettum nomine, ſeruaretur, quoties is eximiæ virtutis Vir ſub veſperũ cellę ſuæ ſuccederet, ex ea effigie erumpẽtibus radijs illuſtrari totus videbatur. Interea dum inter aliquot populos de pretio pro effigie cõferẽdo deliberaretur Hieronymus Marañonius Omaſuyorum Prætor Terræque Copacauanę, deliberari omnino non tulit, ſed ad ſe ſubitò deportari curauit, pollicitus Franciſco Titio Auctori operam ſuam, vti Imago iam dicta ſuo in oppido collocaretur ſi tamen digna iudicaretur. Hoc per Didacum Churapotam Principem, moderatoremque Vrinſayorum perfectum eſt, quibuſdam fruſtrà aduerſantibus eiuſdem factionis, quos tamen moderatoris auctoritas facilè repreſſit. Itaque anno 1583. die Virgineæ Purificationi ſacro, prima adhuc luce, Copacauanam ſacrum pignus peruenit, & in Eccleſia Parochiali, quæ poſt octo annos, nempe anno Domini 1591. Augusti-

guſtinianæ Familiæ vnita, in Templum poſtea omnino pulcherrimum euaſit, digno fuit honore collocatum.

Diuæ Virginis Copacauanæ Miracula.

CAPVT III.

STatim verò admirandà per effigiem Matris ſuę pręſtare beneficia Deus immortalis mortalibus cœpit, diuinæque potentiæ ſuæ vim præſentem demõſtrare: ſtatim Dei Mater prodigijs; & miraculis frequentem Indorum cultum amoremque in ſe prouocare, & multorum munerum, ac opulentorum donorum Datricem omnibus ritè petentibus ſeſe oſtendere orſa eſt. Habuerunt ſtatim Copacauani, ac omnes Indi à noua hoſpite maxima in ſe dona, copias, beneficia, miracula, gaudia, vitas, exaltationes, morborum depulſiones, gratiarum collationes, voluntatum ſuſceptiones, petitionum complementa, omnia Regia, ac pretioſa.

Dabo hic ſolum ex innumeris pauca, à bonis teſtibus arbitriſque affirmata &

ſicut olim ille ſub vngue Leonem, ſic nunc ego ſub hac paucitate reliquorum multitudinem concluſam noſtro Orbi ſpectandam repræſentabo.

Vt autem in his admirandis, quibus Deus Opt. Max. Matris ſuæ gloriam in Orbe extendere dignatus eſt, poſterorum memoriæ tranſmittendis, non tumultuariè, & confusè, ſed diſtinctè ordinateque incedamus, de ijs primum miraculis agam, quæ ipſam D. Virginis effigiem propriè tangunt, deindè verò de illis ſcribam, quæ mortuos ad vitam reuocatos: obſeſſos à Dæmone liberatos: cæcos illuminatos, claudos, & contractos ſanitati reſtitutos: ſaucios ex lethali vulnere perſanatos: mutos loquelæ, & ſurdos auditui redditos, à ſubmerſione in aquis ereptos: in caſu præcipitio ruinaque adiutos: à laqueo venenoque ſeruatos: à bello, incendio, fulmine, peſte, beſtijſque incolumes cuſtoditos: Apoplexia, Epilepſia, ſanguinis fluxu, lepra, hernia, pleuritide, hydropiſi, diſenteria, ſuppuratione, & febri,

fau-

faucium, & renium morbo, ſtomachi ægritudine, capitis, & præcordiorum, dolore, pectoris vitio, calculo alijſque infirmitatibus laborantes ſanitati reſtitutos: Scientiæ,& linguarum dono auctos: agrorum fertilitate, aëris ſerenitate, ac vino optimo ex corrupto donatos, peccatoreſque ad diuinam gratiam conuerſos reſpiciunt.

Miracula circa ipſam D. Virginis Copacauanæ Effigiem.

CAPVT IV.

CVm Effigies Infantuli Ieſu, adeo ſupra *Matris* ſinum extaret,vt impoſita capiti corona materni vultus aſpectum magna ex parte eriperet: P. Montorus (ita loci Parochus appellabatur, antequam Auguſtinianis ea cura demandaretur) eam fabri alicuius opera ſeiungendã decreuerat; quod poſtero die, dum accedit, re præſtiturus, repertus eſt puer Ieſus in Matris brachio ſiniſtro

redu-

reductus, optimeque collocatus quemadmodum etiam nunc cernitur, nullo ad Virginei vultus iutuitum obice relicto etiamſi quodlibet capiti diadema imponeretur.

Cum miles quidam aleæ iactu omniũ ſuorum iacturam feciſſet, annulum tantummodo, quem huic Virgini offerret, ſibi retinuerat. Huic dũ digitto Imaginis inſerere ſtudet, propter digittorum inter ſe coniunctionem, nulla potuit ratione præſtare, ſed non ità multo poſt mirabili plane modo diſiuncti reperti ſunt digitti, quemadmodum adhuc videre eſt, locuſque in eis annulo datus.

Indus quidam nobili loco natus, ex oppido Zepita, cum grauius decumberet, fidem ſuam huic Virgini voto obſtrinxit ſe ad ipſius ædem, ſalute adepta, profecturum. At morbi vi nihil idcirco remittente, per epiſtolam ſanitatem ab ea poſtulare conſtituit. Cumque miſiſſet ex coniunctiſſimis vnum, qui deferret epiſtolam, ac in manum ipſius Diuæ collocaret; ſequenti luce re-

ſigna-

ſignata ad pedes Virginis epiſtola reperta eſt, ac ſalus interea ægro impertita, cui etiam per ſomnium imperatum, vt ad liberatricem ſuam viſendam Copacauanam contenderet.

Franciſcus Gomez Chirurgus Chucuitenſis hoſtem ſuum Copacauanam proficiſcentem ad cædem inſecutus, ea mente ad Effigiem D. Virginis viſendam acceſſit. Illic, ſpinarum veluti aculeis caput configeretur, ita vehementiſſimo dolore vexari cœpit, quo Templo exire coactus: nihil inde doloris expertus eſt. Iterum vero regreſſus in Templum iterum eodem incommodo deprehenditur, cogiturque recedere. Tum rogatus ab amicis quid ſibi videretur de Sacra Virginis Imagine? reſpondit, ſe maximopere mirari, ac neſcire quãobrẽ pulchritudinẽ eius Imaginis tot laudibus celebrarẽt cum ſibi turpis aniculæ ſimulacrum videre viſum fuiſſet: quibus dictis, & ad ſeipſum reuerſus, vſque adeo facinorum ſuorum pœnitere cœpit, vt apud Sacerdotem continuò ea accuſare deteſtariq

non

non dubitauerit: quo facto, atque ad reuiſendam, Sacram Effigiem reuerſus, non quà ante forma, ſed pulchritudine gratiaque inſigniter ornatam ſuſpexit.

QuidamMatthæus de Contreras prædæ cupiditate pellectus, in Copacauani Templi latibulo delituit, donec intempeſtæ noctis ſolitudine tutus, ad ſcelus erumperet. Quando tempus opportunum iudicauit nullumque ſacrorum miniſtrorum vigilare amplius credidit, aræ inſilijt, atque ab latere cortina deducta auream coronã magni pretij Sacræ Imagini detrahere aggreſſus eſt. Et licet cõtinuò manus, vi quadam, repelli arceriq; ſenſerit, ne facinus auderent; nihil tamen inde perterritus, aut permotus, inuolare vnionum decora gemmiſque annulos inſignes non deſtitit. Viſa eſt Effigies tota ibi commoueri, ac repentè coruſcare, per Templum fulgura cœpere, quibus prædo nonnihil perterritus, ne torquem quoque diriperet, manus abſtinuit, margaritas tamen quæque eate-

nus

nus prædatus fuerat, ornamenta non, reliquit, ſed cum eis ad latibulum regreſſus, per fores primo mane patefactas obſcurus aufugit: paulò autem poſt deprehenſus, atque in vincula coniectus, omnia, vt geſta erant, confeſſus eſt.

Vir quidam pius olei vaſculum Deiparæ obtulerat, ad ſacrorum luminum vſum ante ipſius Imaginem in Copacano Templo ardentium. Hoc autem, oleum cum per ſex menſes diu noctuque inceſſanter adhibitum à miniſtris fuiſſet, nunquam defecit, ſed ſemper lampadibus ardentibus humorem ſuffecit ſubminiſtrauitque. Et hæc quidem, circa ipſam D. Virginis Copacauanæ Effigiem admiranda cõtigiſſe apud probatos Auctores ſcriptum inueni.

Mortui ad vitam reuocati.

CAPVT V.

PEtrus Guancius Copacauanus nobili loco natus, non ſolum ſemel

deſperatus à Medicis, & iam iam moriturus, implorato huius Diuæ Virginis auxilio, repente conualuit: ſed iterum, cum iam viuere deſijſſet, ab eadem Diua Virgine, Indorum precibus exorata, ad vitam reuocatus eſt.

Cum Franciſco Hernandez geminos calces Equus alliſiſſet, exanimatumque ad terram deieciſſet, qui aderant illum Virgini Copacauanæ commendarunt, & rurſum continuò eundem viuere mirati ſunt.

Hieronymus de Bredigal puer octo annos natus, grauiſſimo morbo perculſus, à parentibus Copacauanam deducitur, qua nocte eò peruenit, mortem obijſſe viſus eſt, manè verò in Deiparæ ædem delatus, dum ſacra myſteria peraguntur excitatus, vocem emiſit, aquã petijt, atque omnino conualuit.

Bartholomæus Pariguana infans vnius anni cum dimidio, caſu exanimatus, ad Aram D. Virginis Copacauanæ à genitrice pannis inuolutus delatus eſt, ibi autem dum Sacerdos ſacra perageret, *Di-*

uæ-

uæque Effigies monſtraretur, ad vitã eũ reuocatũ omnes, qui aderãt, gauiſi ſunt.

Franciſco Rodriguez puero quadrienni defuncto, iamque humando, ob pietatem parentum in hanc D. Virginis Effigiem, ad cuius auſpicia, alieniſſimis in rebus, conuerſos oculos ſemper habuerant, vita reſtituta eſt.

Alphonſus Caſana ſeptennis puer mula delapſus extinctus eſt, Parentibus verò Diuæ Copacauanæ Virginis auxilium implorantibus, attollere oculos, reuiuiſcere, atque aſſurgere cæpit.

In Regione Cuzci Agnes Perez fuit, filia Gaſparis de los Reies, quæ à media nocte ad auroram mortua iacuerat, Parentes Deiparæ Virginis cultui maximopere addicti, ſummis precibus illi filiolam ſuam commendarunt, voto facto ceream illam ad libram ſe in eius templo Copacauano collocaturos, ſtatimq; ab his puella reuiuiſcere, aquam petere, & panẽ, & collata ſanitate potiri viſa eſt.

Cum Franciſcus Fernandez Burgos filiam ſex menſes natam amiſiſſet, voto

fidem ſuam obſtrinxit paris ponderis argenteam eius ſimilitudinem ad Copacauanum Templum deferendi: & dum infantulam antè Aram Virginis conſtitutam, exequiarum cauſa, velut extinctam lugeret, mirabili planè ratione reuocari illam ad vitæ munus conſpexit. Denique, ne longior ſim, Lucas Charca, ex Copacauana Potoſium proficiſcente, Coniux quinque Camelos ſecum habebat, quorum vnum quodam mane mortuum cum reperiſſet, Deiparam Virginem Copacauanam deprecata, duas vittas, ſiue mēſuras ipſius Imaginis Cameli extincti collo circumdedit, qui repente multis Indorum videntibus, ac mirantibus amiſſam vitam recuperauit.

Obſeſſi à Dæmone liberati.

CAPVT VI.

QVidam Indus Dominicus Caliſſaia nomine, annos natus tres, & viginti, à Dæmonio, cui ſeſe Ma-

gi

gi ſuaſu dederat, male vexatus, mutuſque, atque inualidus membrorum effectus, poſtridie, poſtquam ad Aram Virgineam delatus eſt, liber ac ſoſpes receſſit.

*M*artinus Tupa ex Regulis Iunguij non poſtremus, varijs laruarum ſpectris à Dæmone agitatus viuere nõ potuiſſet, niſi eodem modo malorum geniorum monſtrificas vmbras fugaſſet.

Alphonſus de Zea maleficarum maleficijs ad ſummam vitæ periodum perductus, fuſis ad D. Virginem precibus, peregrinationem Copacauanam deuouit. Continuò loculum vermibus plenum euomuit, ac Diabolicum faſcinum, ægritudinemque exoluit. Ac ne diutius cum Dæmonibus ſalutis noſtræ hoſtibus com moremur, cum Peruanum in Indijs Regnum ob Idolorum cultum, totum penè à Dæmonibus obſeſſum maleque vexatum inueniretur, Diuæ Virginis Copacauanæ beneficio, Dæmonum tyrannidem abiecit, ac in veri Dei cultum, ac religionem tranſijt.

Cæci illuminati.

CAPVT VII.

IOanna Aimarà oculorum lumine carens, mulier multum pia, & Virgini noſtræ dedita, cum die quodam Sabbati ante Sacram Deiparæ Effigiem orationi inſtaret, clariſſimè videre cæpit,& Angelorum vndique Aram cingentium ſplendoribus afflari ſibi viſa eſt.

Ioannes Mamanus Indus item oculis captus, precibus ad B. Virginem fuſis, & nouendiali circuitu ante eius aram abſoluto, videre potuit, & gratus laudauit Auxiliatricem Diuam.

Cum Catharina Guampa Inda oculis capta Copacauanam, religionis votique cauſa veniſſet, atque in Templo ſola eſſet, eam B. Virgo clara voce his verbis monuit: Filia confitere peccata tua. Paruit illa, ſtatimque vidit.

Andreas Maſſias, & Petrus Ticona vterque oculis captus, ad Diuæ Virgi-

nis Copacauanæ Templum cum fide accedentes, vidère.

Ioannes item Aullus de Cajera diu oculorum lumine omnino orbatus, *Diuam* Copacauanam inuocans, atque ab ea cæcitati ſuæ remedium poſtulans, nouendijs perſolutis, lumen recepit.

Indus quidam *Didacus* Catarus nomine, membrorum impotens, ac cæcus, Copacauanam deferri voluit, ibique ad Diuam ſe vertens nouendijs exactis, ſalutis voto potitus eſt.

Dominicus quoque de Oliuera cæcus cum ex toto animo D. Copacauanam oraſſet, huius virginis beneficio optimè vidit. *Denique*, ne aliorum his ſimilium recenſione faſtidio Lectori ſim, Anna de Aualos biennio oculorum vſu caruerat, enixè tandem deprecata Virginem Copacauanam, quam ſemper in amore habuit, & honore, per ſomni quietem, ea ſibi offerri viſa eſt: tum mandauit vt ad ædem ſuam proficiſceretur, candidaque penna inunctis oculis, cęcitatem fugauit.

CAPVT VIII.

VIr quidam fuit Guamangæ contractis fœdè membris vitiatus. Is Copacauanam cum ſe deferri iuſſiſſet, nouendialique ſuo functus eſſet, ſanitatem integram domum retulerat, aureo torque donato liberatrici. Ibi amicis ſibi ſalutis beneficium gratulantibus, ſalutis quidem, inquit, beneficium accepi, at aureum torquem meum, ſibi habet, quæ dedit. Vix ea;cum aureum torquem ad ſuos pedes obiectum cernens, beneficium ſtultus æſtimator amiſit, priſtinoque incommodo laborauit.

Ioannes Calipſa pedibus impeditus per quinquennium, à B. Virgine Copacauana, cuius erat admodum deuotus, eam firmitatem accepit, vt ſubito ſine fulcris ambulare potuerit.

Indus quidam nobilis Philippus Topus nomine,ex factione Vrinſaia,per biennium corpore inualido, & contracto,

ad

ad Imaginem D. Virginis Copacauanæ deferri voluit, facultate autem à Templì miniſtris obtenta apud eandem, noctem quoque tranſigendi, quo quietiori tempore, maiori pietate deprecaretur, dulciſſimà ſuauiſſimàque voce interea audijt ſe moneri, fulcra iam relinqueret, ſanitatem integram conſequutus.

Eliſabeth Chuncoia ex oppido Iunguio, corpori contracto, ac defatigato huc remedium cum petitura veniſſet, in omnium oculis palam obtinuit.

Altera Eliſabeth ex oppido ipſo Copacauanæ, quæ ex multo tempore membrorum integritate caruerat, deprecata Virginem, vt ſibi ſoſpitatem reſtitueret, dum Nouendiale Sacrum, apud ipſam perageret, frequente populo vidente, ac mirante, integra prorſus apparuit.

Dominicus de Pace à pueritia membrorum vſu mancus, atque impeditus, vbi ad Virginem Copacauanam acceſſit, ac Nouendiale Sacrum peregit, ſanitatem integrìtatemque adeptus eſt.

Magdalena Chuncoia, quæ per multos

tos annos corpus cōtractione membrorum inutile habuerat acceſſu ad ſacram Effigiem, ita incolumis effecta eſt, ac ſi nullum vnquam incommodum paſſa fuiſſet.

Indus quidam Copacauanus Ioannes Cuſinga nomine, caſu quodam corpore impeditus, fruſtraque omnibus remedijs tentatis, opem Diuæ huius humiliter petijt, & Nouendiali expleto, omni incommodo expeditus, domum reuerſus eſt.

Alter item Indus, cui nomen Dominicus, genitricis ab vtero mancus poſtquam Copacauanam adijt, ibique Deiparæ Virgini pro ſua ſalute preces, & vota obtulit, breui tempore, integer fuit.

Alius quoque Indus corpore vſus per quindecim annos penitus contracto, cū Copacauanam ex Cuzco ſalutis gratia veniſſet, nouendiaque ritè peregiſſet, ſalutem nihilominus non exorauerat. Ergo domum regreſſus animo plus quā corpore æger litteras ad B. *Virginem* ſupplices inde dedit, & quod præſens

non obtinuerat, per litteras impetrauit.

Puer quidam quadriennis, cum corpus inutile inualidumque ſortitus ne moueri quidem per ſe poſſet, à genitrice Virgini Deiparæ precibus enixè commēdatus, quodam die Sabbati integer ſurrexit, ſuiſque pedibus ad Aram ipſius Deiparæ, gratias acturus, profectus eſt.

Dominicus Mammanius cum membrorum vſu per decennium impeditus fuiſſet, poſtquam Nouendialibus precibus functus Virgineam ſibi Opem quæſiuit, omni caruit impedimento.

Didacus de Sabredo femore inutili, & fulcro vtens, dum in Templo Diuæ Virginis Copacauanæ nouendium agit, die Sabbati ſanus efficitur.

Chriſtophorus Pacana ex Haiohaio oriundus membrorum contractione à pueritia inualidus, dum Nouendialia peragit apud Sacram Effigiem, ſanus euaſit.

Indus quidam Iuli oriundus ex multo tempore membris debilita-

tus, & mancus, vt ad Diuam Virginem Copacauanam acceſſit, repentè in omnium oculis integritati redditus eſt.

DidacusChicus exCuzco oriũdus diù corpore impeditus, ope Diuæ Virginis Copacauanæ poſtulata, per quietem ſibi viſus eſt ab eadem moneri, vt ad ædem ſuam ſe conferret,quod dum facere pergit, in ipſo itinere ſanàtus eſt.

Agneti *V*rcomæ eodem modo perfecto corporis vſu carenti, dum Nouendialibus operam nauat, poſt auditam à Sacerdote Lectionem Euangelicam idẽ beneficium collatum eſt. Oleum ex lampadibus ante Imaginem B. *V*irginis ardentibus idem contulit adoleſcenti tredecim annos nato. Idem conſequutus eſt Ioannes Poma Indus ſexto die poſt incæptum Nouendium. Idem alius nomine Alphonſus poſt ipſum nouendium expletum. Idem alius Indus (huic corpus ab vtero materno vitiatum) vbi huc acceſſit, quem etiam nouenæ tempore *V*irgo hymnum docuit de Paſſione Domini, quem quotidie ſub veſperum caneret,

neret. vt infra videbimus. Nec minus alius Indus cui nomen Ambroſius quintodecimo iam anno,corpore læſo,langui dus Nouēdij tempore ſalutem obtinuit. Eodem membrorum languore, quo per triennium iacuerat, quinto die nouendij exoluta eſt Maria Moltiparpa, ex Chucuito.Exolutus,& puer quidā Ioannes Ninacus nomine,poſt exacta Nouendialia, triennali languore. His accedunt Indus quidam ex Iunguio, ac Balthaſar Chacoſina item ex Iunguio,alter ex quadrennio ita malè corpore affectus; vt ne in cubitum quidem ſurgere poſſet; alter autem ex longiori tempore, vterque illic ſanitate donatur.

Quid de de Fernādo Suaquita dicam? Septem ſimiliter annos, & ipſe decubuerat corpore inualidus, & contractus, atque huc impetrandæ ſalutis cauſa delatus, vbi nihil proficere multis precibus votiſque vidit, ad vrbem ſuam referri volebat. Itaque mulo inſidens cuiuſdā hominis Hiſpani Copacauana diſcedere cogitabat. Conſtitit iumentum immobile,

bile, nec vnquam cogi potuit ſtimulis, ac verberibus, vt progredi vellet, Quo viſo homo ille Hiſpanus, atque incumbente iam veſpere, ea quoque nocte ibi hoſpitari conſtituit. Ibi Ferdinando Diua per quietem apparuit, ægrum ſolata eſt, ſanumque dimiſit. Et de Claudis Contractiſque per *D*iuam Virginem de de Copacauana ſoſpitati reſtitutis hęc quæ diximus, ſatis ſuperque.

Saucij ex læthali vulnere perſanati.

CAPVT IX.

CVm Indus quidam ex Chile, quem haſtilibus, & lanceis hoſtes tranſuerberauerant, atque in aëra extulerant ſalutem ſuam interea Deiparę Virgini Copacauanę commendaſſet, ei mox Hiſpani, vt opem ferrent, accedentes, allatã iam fuiſſe ab eadem Virgine viderunt, nullamque iniuriæ acceptæ notam depoſito corpori relictam conſpexerunt.

Cum

Cum miles quidam, Franciſcum Bo-
orquez mēſuram *Diuæ* virginis Copaca-
uanæ geſtantem, pugione inuaſiſſet, ve-
ſtes quidem eius violare, corpus vero,
etſi menſura tantiſper læſa, nullo pacto
potuit.

In expeditione Chilēſi homo quidam
Hiſpanus ita manibus, ac pedibus pla-
gis ab hoſte acceptis debilitatus fuerat,
vt ne moueri quidem loco poſſet, ſed
cum pias preces ad Virginem Co-
pacauanam fudiſſet, eamque ſuppliciter
oraſſet, vt ſaltem pedibus vti poſſet, pe-
regrinationem ad ipſius Templum adi-
turus. Potuit, adijt, perfecit, ibique no-
uendialibus actis, integram ſanitatem,
reportauit.

Mulier Inda, cui Catharina Guarpa,
nomen, à viro ſuo zelotipiæ cauſa gla-
dio grauiter in capite percuſſa, ac tribus
vulneribus pugione violata, animam fe-
rè agens, menſura D. Virginis Copaca-
uanæ ab Hiſpano quodam accepta, bre-
ui, & vitam, & ſalutem recepit.

Indus quidam per Arequipe conualles
iter

iter faciens, latronibus appetitus, vulneribuſque confoſſus, iugulo denique exſecto tanquam mortuus relictus fuerat. Is menſuram D. *V*irginis Copacauanæ ſecum gerebat, qua in auxilium ſuum inuocata non ſine ingenti prodigio viuere potuit.

Petrus de Oſma nobilis vir capitis vulnus *V*irgineæ veſtis admotu deterſit.

Muti loquelæ, & Surdi auditui redditi.

CAPVT X.

INdus, quidam totos annos quinque & triginta (tot namque natus hic erat) nunquam locutus, linguæ vſum Diuæ Virginis beneficio hinc accepit,& linguam ab omni penitus impedimento liberatam, lætitia plenus, in grates B. *V*irgini debitas exoluit.

Adoleſcens tredecim annorum ſurdus ac mutus à natiuitate, vbi ad Copacauanum B. *V*irginis Templum acceſſit, ac

nouendiale ſacrum peregit, audijt, & loquutus eſt, recuperatum aurium, & linguæ vſum Diuæ Virgini, magnà illic frequentià, & religione cultæ, acceptum referens.

Vir Religioſus è Societ. Ieſu non ignorans *D*eum in Copacauano Sanctuario multorum votis annuere, & per Virginem Matrem ſuam non pauca ibi miranda, & ſupra naturæ vires poſita patrare, ſurditatis vitio laborans, goſipitio ab Effigie B. Virginis remoto, auribuſque magna cum recuperandæ ſalutis fiducia admoto, audiendi facultatem recepit. Sexcenta alia huius generis referri poſſent, ſi notata fuiſſent.

A ſubmerſione in aquis erepti.

CAPVT XI.

QVidam Indus dum fluuium noctu ponte traijceret, vxorem in defluentem præcipitem impulit; quo ab alijs Indis, miſeratione adducti, quidam

poſtridie humandum corpus quæſiere. Sed cum fœminam ſoſpitem, atque integram inſula fluuialis accepiſſet, ibi ſe quærentibus narrauit mulier, Matronam pulcherrimam, cuius Imaginis menſurā apud ſe gerebat, ſibi adfuiſſe, & ne in aquis ſubmergeretur, & certiſſima in morte periret, effeciſſe.

Franciſcus de Valderrama Daimiel oriundus, dum fluuium rapidius ruentem traijceret, aquarum impetu raptus Virginem Copacauanam appellauit, eiuſq; auxilium continuò ſibi adeſſe expertus eſt. Senſit enim ille ſe à quodam per Capillos ab aquis extrahi, trahique incontinentem, qua diuiſus in duas partes fluuius inſulam modicam relinquebat. Ibi autem per aliquot dies aquarum auctu morari coactus, diutius etiam moratus fuiſſet, niſi iterum liberatrici ſuæ voto peregrinationis ad ipſius ædem ſe obſtrinxiſſet. Tum verò vndis decreſcentibus amnis vada facilem tranſitum præbuerunt, atque ille iter cæptum ijs ſuperatis proſequutus eſt. At vir bonus letheum

theum poculum velut ex amne bibiſſet, voti beneficijque oblitus eſt; ſed perſimile iterum in diſcrimen adductus, memoriaque recepta, iterum liberatrici Virgini ſupplicauit, vota confirmauit, Nouendiales inſuper preces promiſit, & extra diſcrimen poſitum ſe eſſe cognouit.

Aricæ, æquor aliquando ita ſuperatis littoribus exundauit, vt ipſum oppidum obrueret. Cęteris fuga euadentibus mulier paupercula, ſuique corporis minimè potens ſcilicet eneruis, & languore ſoluti non potuit. Huic menſura erat Virgineæ ſimilitudinis, nec pias in eo diſcrimine preces ad eandem *Virginem* fundere abſtinuit. Quo factum eſt, vt biduò aquis ſtagnantibus minimè merſa, tertio die procul ab eo loco ſex millia paſſuum, corpore iam valido atque incolumi in ſiccum emerſerit.

Homo quidam ex Ciuitate Pacis, domum ſuam nocte rediens nubilà, ac procelloſà, in fluuium decidit, præcipitem ſanè ſcopuliſque frequentibus metuendum. Implorata autem in ipſo caſu *Vir-*

ginis Copacauanæ ope, præſentiſſimo interitu ereptus eſt, ac tantummodo veſtibus cœno infectis, in ſcopulo conſtitit ipſe illæſus, atque vndique rapidis aquarum vorticibus circumſeptus.

Pariæ puer biennis in aquam demerſus, inuocato Diuæ *Virginis* Copacauanæ auxilio poſt horam liber emerſit.

In caſu, præcipitio, ruinaque adiuti.

CAPVT XII.

QVidam ex inſtituto D. Franciſci Religioſus, in prẹſentiſſimo periculo fortuiti, quadam nocte, caſus, vitam non amiſit, quia ad Copacauanæ *Virginis* ſuppetias ſupplex iuit.

Petrus de Tapia Zauallos mula calcitrant e excuſſus, ac ſuſpenſo circa ephippium hærens pede, propitiam ſibi *Virginem* Copacauanam precatus, præſenti periculo ſtatim ſe expedijt.

Balthaſar Gonzales equo delapſus crus in duas partes fregit, Virgine autem

tem eadem precibus inclamata, repente crus integrum ſenſit.

Cum quidam equo delapſus ab eodē, pede ad ſtapedem ſuſpenſo, raptaretur, auxilium huius *V*irginis implorauit, pedemque à vitæ periculo exuit.

Michael de Andrada mulo delapſus, cum biduum, vt mortuus ſine ſenſu, ac ſine voce iacuiſſet, deinde quodam viſu recreatus, Diuę *V*irginis Copacauanæ auxilium opemque efflagitauit ſtatimq; ſalutem recuperauit.

Mulier Maria Magdalena nomine, Cōpacauanam pietatis cauſa veniens, mulà qua vehebatur, in terram effuſa, penè eo caſu exanimata eſt, diuque loquendi vſu caruit; mox ſpiritu recepto ſibi B.*V*irginem affuiſſe, atque alloquio ſuo recreatam proſequi cæptum iter iuſſiſſe affirmauit.

Alphonſus Hernandez de Monte nigro crus caſu perfractum, poſtridie quam ſacram viſit D. Virginis Effigiem, integrū ſibi reſtitui gauiſus eſt.

Indum quendam è ſublimi loco in-

præceps ruentem, ſaxorum ruina conſecuta ita obruerat, vt viuere potuiſſe crederet nemo: repertus tamen incolumis, atque illæſus, relicto inter duos immanes lapides ſpatio, Diuam quippè *Virginem* Copacauanam in ipſo caſu inuocauerat.

Mulier quædam Carauaiam proficiſcens, cum mula, qua inſidebat, per prona, ac præcipitia montis non vnius ſtadij ſpatio volutata, imploratà *Virginis* Copacauanæ ope, in plana peruenit cum iumento, nullà acceptà offenſà quo minus cæptum iter proſequi poſſet.

In ædificatione *Virginei Templi*, dum trochea materia ſubuehitur, in caput Indi cuiuſdam ingentium ſaxorum turbo euolutus erat, quo viſo inclamantibus ſocijs *Virgo* Copacauana tibi opem ferat! nullam omninò iniuriam, aut detrimentum accepit.

Copacauanæ tabulatum corruens Indorum numerum non exiguum oppreſſerat, niſi ad auxilium D. *Virginis* fuiſſet recurſus, hoc autem piè petito, leniter

illud

illud ad terram venit, moxque integris omnibus, ingenti ruina diſſilijt.

Apud fodinas Potoſij in *Regno* Peruano, in argenti theſauris eruendis; ita multi hominum exercentur, vt Solis aërisque aſpectu per plures menſes carère cogantur; propter fodinarum altitudinem candelarum lumine tantum vtentes. Deſcendunt, aſcenduntque ſcalis ex crudo corio confectis per gradus ſupra octingentos, onuſti humeros ſarcinà, manuque candelam accẽſam gerentes, incomparabili planè labore. Ergo ex his quingenti, dum ſexto Idus Septembris die Natiuitati B. Virginis ſacro, in opere verſantur, ingens montis fruſtum, quod cauernæ ori imminebat, ſublapſum immenſis ſaxorum ponderibus omnem aditum obſtruxerat, damnatoſque ſe æterno fatalique carceri videbant miſeri; niſi cœleſte auxilium affuiſſet. Maximus ibi omnium mentes mœror inuaſit, quippè qui humatos ſe, antequam mortuos, certiſſimè videbant. Deſperatiſſimis igitur ſuæ ſalutis rationibus ad

auxilium diuinum,B.Virgine Copacauana implorata, animos conuertère, nuncupatiſque votis, ſiquidem ex ijs anguſtijs exitioque educerentur, ad eiuſdem B. Virginis Templum ſe gratiarum agendarum cauſa venturos promisère. Vix ea (dictu mirabile) cum lux immenſa tenebricoſam cauernam compleuit, atque in Paradiſi ſimilitudinem infernam faciem commutauit. En Maria Virgo præſto eſt conclamarũt omnes quingenti, nec falsò, Benedicta in æternũ diuina lux Maria, & in Maria Deus! Ibi timor omnis abſceſſit, nil dubitãtibus cœleſtia munera numeris omnibus fore abſoluta: alacres lætique in ea luce ſurſum, ac deorſum feruntur, videntque ſaxorum obicem amotum, apertumque iter ad Cœli conſpectum, ſeque è media morte mirabiliter vindicatos. Egreſſi tandem ſingillatim, neque enim anguſtus aditus pluribus ſimul patebat, flexère genua, gratiaſque innumeras egère illi, cui ſalutem ſuam referebant acceptam, nullaque cunctatione Copacauanam ad Mariæ Templum con-

tendère nuncupata vota perſoluturi: vbi cum propter diei feſti celebritatem maxima hominum frequentia conueniſſet, res, & celebrior facta, & maiores Deiparæ Virgini gratiæ relatæ.

In eodem Potoſij monte, dum alias metalla effodiuntur, centum Indos, atque vna hominem Hiſpanum, emotæ ſuperius telluris, ac ſaxorum molis caſus, ore fodinæ obſtructu, cæcis antris incluſit. Octo dierum ſpatio veluti ſepulti viuunt. Tum Copacauanam Virginem tota animi contentione inclamantes ſalutiſque ſuæ rationes ei commendantes, mirabiliter ab ea inde eruuntur.

Apud Potoſium etiam ſexcenti homines metalla effodientes montis ruinà fodinis incluſi remanſerant, & cum nulla appareret aliunde ſalus, ad Diuam Virginem Copacauanam conuerſæ preces, & vota nuncupata. Adfuit illa inclamata candidiſſimæ lucis iubare circumfuſa ſpem vitæ mæſtitudine oppreſſis animis ferens. Eius diſceſſu anguſti aditus ad lucem patuère, per quos ſeſe tridui ſpa-

tio

tio incolumes omnes emerſère.

Ibidem piſtrino rudis gleba in argentum procuditur, ac ſolidatur, ingenti rotarum, nec minus tricoſo machinamento ferratos malleos ſuſque deque aquarum impulſu mira celeritate verſante. Indus quidam inter opus miſerabili caſu illuc aliquando prolapſus eſt, certo certius in puluerem redigendus, niſi humana ope afforet maior. Appellata illi Diua Virgo Copacauana opem tulit, quæ aduerſus aquarum vim malleos tam diu in aëre ſuſpenſos ſtare coegit, quamdiu miſer ille eripi poſſet à ſocijs.

A laqueo, venenoque ſeruati.

CAPVT XIII.

QVidam Indus, cui nomen Balthaſſar, cum Agnetem Coniugem in agro laqueo ob gulam ſuſpendiſſet, mox eo reuerſus humandi cadaueris cauſa, ne ſuum facinus deprenderetur; eam ſedentem, ac iunctis manibus inuenit.

Quam

Quamobrem attonitus, & animo perterrefactus, accedere non audebat. *Trepidantem* autem iuſſit mulier accedere, aſſerens Dei Genitricem, quæ Copacauanæ colebatur, ademptam gutturi reſtem manibus circumdediſſe, atque ab interitu ſe vindicaſſe.

Alius Indus, ob quaſdã ſibi illatas moleſtias deſperatione adductus laqueo vitã finire conſtituit; &cum iam laqueo caput inſeruiſſet nihilominus mori non potuit Imaginis B. Virginis Copacauanæ menſurà, quam apud ſe gerebat, ſeruatus.

Eliſabetha Coama ex oppido Oruro impotenti planè infirmoque corpore ſerio affirmauit, ſe nulla humana ope, quodam die in Eccleſiam eiuſdem Oppidi delatam, altero die in aliam alterius, tandem in Templum D. Virginis Copacauanæ, obſcura ſibi planè ratione, atque auctore. Hic duos menſes fuiſſe, nec tamen languori ſuo finem inueniſſe. Quam obrem deſperatione adductam venenato poculo vitam finire voluiſſe. Interea Deiparam Virginem ſibi adfuiſſe, erep-

toque

toque è manibus poculo, atque in terrã alliſo dixiſſe: nolle ſe vt eo mortis genere periret, continuoque incolumitatis munus fuiſſe largitam.

Indus quidam morſu vipereo ſaucius, nullo alio remedio adhibito, ſola Virginis Copacauanæ, quam ſupplex inuocauerat, ope curatus eſt.

A bello, incendio, fulmine, peſte, beſtijſque incolumes cuſtoditi.

CAPVT XIV.

IN Chunchis ingenti conflagrante aliquando prælio, ita hoſtium improuiſà eruptione exercitus opprimi videbatur, vt nullum iam ad ſalutem iter ſe oſtenderet. Sarcinarum præterea domus, vnicum fugæ præſidium, incendio corripiebatur. Eo in diſcrimine ſalutem ſuam, rerumque ſuarum ad humum demiſſis genibus Diuæ Virgini Copacauanæ commendantes, vtrumque reſtinctis repentè flammis obtinuere.

Cum

Cum quadam nocte fulminis ictu religioſi Copacauanæ domicilij cubiculū conflagraſſet, cæteris incendio abſumptis, menſura tamen Imaginis B. Virginis, chartà inuolutà, illæſa remanſit.

Potoſij ex ſodalibus *V*irgineæ Societatis, vnus pro Sacræ Imaginis vſibus dum eleemoſynas colligit, triſti pluuioque Cœlo cum tonitru fulmen illiſum pilei ei ſumma perſtrinxit, cæterum *V*irgineo inſigni munito nihil nocuit.

Annus 1619. Poſt Chriſtum natum peſtilentiſſimus Indis æquè, ac Hiſpanis erat, poſtquam verò in ſupplicationem D. *V*irginis Copacauanæ Effigies ducta eſt, peſtis langueſcere cæpit, & paulatim graſſari deſijt.

Tiaguanaci taurorū agitationi dum datur opera, ex his vnus hominem inter cornua ſublatum diu diuexauit. Ille ſummis precibus Diuam *V*irginem Copacauanam, vt ſibi tanto in diſcrimine ſuppetias ferret: orabat, cuius apud ſe mēſuram gerebat, poſt has preces, Tauro impunè dimittente, liber euaſit.

Idem

Idem fermè Copacauanæ accidit tantum non eidem. Taurus enim per horæ quartam partem hominem inter cornua delatum, ac iactatum, ad inuocationem Virginis Oppidi tutelaris illæſum dimiſit.

Apoplexia, Epilepſia, ſanguinis fluxu, lepra, hernia, pleuritide, hydropiſi, diſenteria, ſuppuratione, & febri, faucium, & renium morbo, ſtomachi ægritudine, capitis, & præcordiorum dolore, pectoris vitio, calculo, alijſque infirmitatibus laborantes ſanitati reſtitati.

CAPVT XV.

STellas Cœli numerare tentarem, ſi Diuæ Virginis Copacauanæ admiranda, in ijs, quæ infirmitates corporis reſpiciunt, eiuſdem Diuę beneficentiam prædicantia vellem in præſentia recenſere. Vnum tamen, aut alterum, in ſingulis ferè infirmitatum generibus, ipſius beneficentiæ exemplum hic referre non poſ-

poſſum, vt ſaltem ex parte ipſiuſmet beneficentiſſimæ Virginis, ac beneuolentiſſimæ Matris memoriam religioſis affectibus, effectiſque proſequamur.

Matthæus Perez Emeritenſis apoplexia oppreſſus, cum *D.* Virginis Copacauanæ Effigiẽ inuiſiſſet, incolumitatis beneficio potitus eſt.

Puella quædam *Epilepſia*, ſeu comitiali morbo, ſex annorum ſpatio laborauerat, Parentes autem ipſius votiuam Ceram, ad pondo ipſius corporis exactam, D. Virgini ante eius Altare appẽdendam polliciti, continuò incolumem filiam accepère.

Philippus Gualippa Indus graui ſanguinis fluxu laborans, humaniſque remedijs deſtitutus, inuocato huius Diuæ nomine, ſe omnino incolumem agnouit.

Puer leproſus, oleo ex lampadibus ante Effigiem Diuæ Virginis ardentibus perunctus, mundatus eſt.

Nicolaus Garnica Ratiocinator, herniæ morbo quatuor annos laborauerat, ſa-

cram

cram autem B. Virginis Effigiem poſt-quam inuiſit, menſuramque ipſius ſuo capiti admouit, omnino eo inteſtinorum vitio liberatus eſt.

Puer item nomine Aloyſius hernię vitio non leuiter affectus, voto huic Virgini facto, nihil vltra talem paſſus eſt.

Pleuritidis morbo vſque ad ſupremũ ſpiritum laboranti puellæ, cum pro ea preces ad hanc Diuam fierent, Ipſa *Vir*go ei apparuit, iuſſitque domum ſuam inuiſere, ſalutem liberaliſſimè largita.

Hieronyma de los Rios incurabili laborans hydropiſi, oleo, ex lampade coram Deiparæ Effigie ardente peruncta, intra quatuor horarum ſpatium melius ſe habuit, deinde omninò ſanata eſt.

Fęmina quędã hydrops quinquennis, cum Copacauanam ad Templum B. *Vir*ginis veniſſet, & Nouendialia ibi abſoluiſſet, ſana receſſit.

Chriſtophorus Topa Oeconomi Dominæ noſtrę Cocapauanæ filius, Diſenteria læthaliter laborans, ad Eccleſiam delatus, ſubitò melius ſe habere incæpit,

pit, & mox etiam ægritudine illa omnino caruit.

In Ciuitate Salta Prouinciæ Tucumàn, Frater Ioannes de Caſtilla Religioſus ex Ordine D. Franciſci, ſuppuratione, ac febri, cum iam ſupremum laboraret, ſomno correptus per quietem moneri interius ſibi viſus eſt Copacauanæ *Virginis* ſuppetias peteret, continuò valetudinem conſequuturus. Expergefactus, piè petijt, optimèque conualuit.

Mulier Ioanna nomine faucium morbo laborans, oleo ex lampadibus antè Imaginem *Diuæ* Virginis ardentibus, curata eſt.

Sacerdos Hiſpalenſis vndecim annos renium morbo ægrotauerat, Diuam Virginem Copacauanam, tandem, vt ſibi conſuleret, deprecatus, votique religione obſtricta ſe ad ipſius ædem conferendi, incolumitatem adeptus eſt.

Vir Religioſus ex Auguſtinianorum cœtu ſtomachi ægritudine grauiter dolens, ope Copacauanæ Virginis implorata, in dies, dolores minui ſenſit.

Barthol. de Angulo ex aſſeclis *D.*Frã-ciſci, graui capitis dolore affectus, vbi veſtem, qua S.Effigies B.Virginis induitur, capiti admouit, pulſo penitus dolore ſe liberum inuenit.

Calculator etiam Petrus de Ibarrà pallio eiuſdem Sacrę Imaginis capiti ſuo impoſito, grauiſſimos inde dolores, quibus premebatur oppreſſit.

Franciſcus Condor ex prima nobilitate vir Indus, præcordiorum dolore fatigatus, vbi ad Templum B. Virginis Copacauanæ acceſſit, omni moleſtià vacuus abſceſſit.

*L*uſitanus quidam pectoris graui dolore cruciatus, dum in Templo eiuſdem *V*irginis nouendium perageret, curatus eſt.

Chriſtophorus Muños Zeuada calculari morbo grauiter afflictus, eiuſdem *V*irginis ope exorata liberatus eſt.

Nobilis fœmina Mariana de Millares graui quadam ægritudine oppreſſa ſummo in vitæ diſcrimine verſabatur; cum parentibus ipſius auxilij cauſa Copaca-

uanam

uanam ad Sacram B.Virginis Effigiem profectis, priſtinæ ſoſpitati reſtituitur.

Frater Ioannes à S.Petro Sacrę Theologiæ Magiſter, Copacauanam peregrinationem nuncupatis votis ſe ſuſcepturum pollicitus, ſi grauiſſima, qua laborabat, ægritudine aſſurgere poſſet, ſtatim potuit.

Ioannes de Zeſpedes *Vir* erga Deiparam Virginem ſumma pietate affectus, graui ægritudine correptus ad Copacauanam B. Virginis ædem deferri voluit, & valuit.

Mulier in Vrbe Pacis grauiſſima occultaque infirmitate affecta, inuocatione eiuſdem Virginis remediũ reperit. Et ne plura congeram Puerpera in ſumma pariendi difficultate, ac vitæ periculo, menſurà *Virginis* admotà, feliciſſimè enititur.

Scientia, & linguarum dono aucti.

CAPVT XVI.

LAborabat quidam Indus inflatione tibiarum, ac debilitate pedum, impedito prorſus inceſſu. Exulceratis autem cruribus, cum diù impediretur, ſimul animaduertens multos è Chriſtianis ad Diuam Virginem de Copacauana contendere, ad obtinendam ſalutem, eo & ipſe contendit, deprecatuſque eſt Sanctiſſimam Virginem, vt ſibi ſanitatem impertiret; quam non ſolum conſequutus eſt perfectiſſimam, ſed cum eſſet homo rudis, & ſtipite obtuſior, eam intelligentiæ lucem adeptus, qualem ne ſuſpicari quidem illius ingenium potuiſſet. Ei enim B. Virgo apparens Canticum de Chriſto patiente, ac reſurgente docuit, quod quotidie ſub veſperum recitaret; quod eodem fere numero, atque ordine, quo deſcriptum erat Indica lingua, latinè reddidit Franciſcus Bencius,

cius,ac ſuæ Hiſtoriæ Virginali lib.2.cap. 13. inſeruit Ioannes Bonifacius. Eſt autem huiuſmodi.

Pater en noſter, Genitor noſter
Rigidis clauis in Cruce fixus,
Cor transfixum cuſpide amoris
Cruore toto corpore manans
Omnes circum proluit artus.
Cerniſne caput, decline caput,
Capùt hoc flauæ ſimile ariſtæ
Viden vt cingunt ſpinea ſerta
Vſque ad tenerum fixa cerebrum?
Patris heu noſtri cerne capillum
Sparſum, incomptum, ſanguine fœdum
Oculi triſtes, Lumina mœſta
Roſeas lacrymas largè effundunt,
Fluxiſſe putes molle corallum,
Heu confudit iam decus oris
Pallorque genis ſedet exanguis.
Etiamne manus, Patriſne manus
Ferro affixæ ſanguine rorant?
Os mellifluum Patris noſtri
Pro me miſero iam conticuit
Extra Solymæ mœnia terræ

Crucis exiuit mole grauatus
Et pro ſcelerum mole meorum
Extra Solymam crucifixus obit.

Ex filo autem ipſo videtur longius fuiſſe Canticum, ſed hominem ruſticum cæpit obliuio reliquorum.

Indus quidam pecudes Camelorum ſimiles cuſtodiebat, in mente Chriſtianus quidem, ſed initiamentorum, ita negligens, vt præter nomen Chriſtianorum nihil haberet, aut ſciret. Is *D*iuæ Virginis Copacauanæ, ad quam precibus confugerat, beneficio, hoc miraculo excitatus eſt ad diſcendum. Muta pecus ex illo grege quotidie mane precationum formulam articulatè recitans coarguere videbatur inſcitiam hominis, & ſciendi negligentiam. Narrauit hoc ipſe, & verum fuiſſe miraculum moribus & vita oſtendit.

Cum P. Ferdinandus de Monrroy Soc. Ieſu, apud Peruanos ęgroti cuiuſdam peccata pro confeſſione audiret, quędã quæ ab eo dicebantur ob linguæ minus exa-

exactam peritiam nulla ratione capiebat. Quamobrem Pater, qui Diuam Virginem in Copacauanenſi æde miraculis coruſcantem eius linguæ addiſcendæ magiſtram ſibi delegerat, ad eam tū ipſe, tum ęgrotus confugerunt, vt ei neceſſitati pro ſua clementia conſuleret. Nec mora, illa annuente, omnis euanuit loquutionis obſcuritas, tamquè bene Sacerdos Indi loquentis verba ſenſuſque percepit, quam ſi Hiſpanus cum Hiſpano colloqueretur. Quod quidem beneficium, quam opportunum fuerit, mors ægroti ſtatim conſequuta ſatis oſtendit.

Agrorum fertilitate, aëris ſerenitate, ac vino optimo ex corrupto donati.

CAPVT XVII.

CVm anno 1583. quo Copacauanæ collocata eſt B. Virginis Imago, Ananſaiorum factio pro ſingulari ſua in Deiparam pietate, agrum ſerere ipſius nomine conſtituiſſet, quatenus ex per-

cipiendis fructibus neceſſaria quædam pro ſacri pignoris cultu compararentur: nunquam adduci potuerunt Vrinſaij, quippè qui præteriti facti inuidiam, nondum bene decoxerant, vt in eandem sẽtentiam conuenirent. Eo anno imbrium maximà laborabatur caritate, quo tamen incommodo minimè deterriti ſunt Ananſaij quo minus glebam proſcinderent aſſiduis ſolibus vſtam, ac duratam. Mirabile dictu! Nubes imbre grauis cõtinuò ſupra conſiſtere, largaque aſpergine culta illa tantum noualia perfundere, viſa eſt, cum nuſquam alibi, vel gutta, decideret. Quo facto admirati ſimul, ſimul ad inuidiam commoti aduerſarij cæterique oppidani, vnde auxilium petendum eſſet intellexère.

Rurſus cum anno redempti Orbis 1587. ob nimiam ſereni Cœli pertinaciam tellus arentibus ſatis fatiſceret, ad opem Virgineam ijdem Ananſaij recurrerunt, ſolemni ritu Miſſæ ſacrificiũ in eius honorem fieri curantes, quo peracto eorum ſeges, ita pluuiæ beneficio

irri-

irrigata eſt, vt nihil humoris ad alienas peruenerit, quamuis admodum proximas aut coniunctas. Ibi Vrinſaij perterriti, ac pœnitudine ducti, veniam multis lacrymis ſibi à Diua Virgine deprecati ſunt, datàque, & ipſi operà, vt ſacra in eius honorem ſolemniter celebrarentur, pro ſe ſuiſque oppidanis optatiſſimum pluuiæ munus impetrarunt.

Chucuitæ prouincię Incolæ, præ imbriũ nimia caritate ſegetibus iam penè morientibus, facto agmine, Copacauanam cuncti, ad Virginis opem depoſcendam venère. Ibi ſupplicatio habita, ac Virginis effigies circumducta imbres elicuit ruentes; nemo ſiccus euaſit, ferculum verò ſacrum, ne ſtillicidio quidem in medijs pluuijs, madefactum eſt. Hinc noua ſatio, mira fertilitas. Antequam vero ſupplicatio inciperet conſpecta eſt facies Virgineæ Imaginis mutari, quemadmodum teſtimonio quorundam piorum virorum auditum eſt.

In eruptione cineris, quam Volcan vocant, Copacauanenſes Incolæ diù,

diù, non Cœli, & Aſtrorum tantum, ſed & proximorum montium aſpectu, denſiſſima caligine cuncta occupante, carentes, tanto incommodo, vt conſulerent, Sacram *B.* Virginis Effigiem, ad eam partẽ, ex qua ſubiecta palus deſpicitur, eduxère. Ibi vero ingenti luce erũpente cœli ſerenior facies cœpit videri.

Mercator pietatis laude inſignis vinum ingenti pretio mercatus, corruptum illud eſſe deprehendit, ob eam rem fuſis ab B. Virginem Copacauanam precibus ex corrupto in optimum præſtantiſſimumque reduxit. Hic porrò Mercator lucrum ex mercibus à ſe perceptum cum B. Virgine ex dimidio partiebatur, atque inter alia munera lampadem argenteam pulcherrimam immanemque ſex millium penè librarum pondo eidẽ B. Virgini dono dedit. Quæ lampas ex ſola artificum operavltra triginta aureorum millia æſtimata eſt, eoque ingenio, atque artificio fabrefacta, vt quot dies annus numerat, nempe 365. tot ipſa brachiolis circumquaq, aptè diſpoſitis

cande-

candelas ſuſtentet. Hæ autem candelæ, dum in feſtiuitatibus B. Virginis alijſq; celebrioribus anni diebus omnes ſimul accenſæ conſpiciuntur, Lampas iſta mirum præbet iucundiſſimumque intuentibus ſpectaculum, alterumque in terra Cœlum ſtellis fulgidum repræſentat, intra eiuſdem lampadis ambitum (mirum dictu!) feria v. in Cœna Domini, ſepulchrum, ſeu monumentum Ieſu Chriſti Corpori adornatur, & Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium à Sacerdote, ſolemni ritu cum miniſtris offerente, commodè peragitur.

Peccatores ad Diuinam Gratiam reuocati.

CAPVT XVIII.

NEmo ferè ad Templum, & Effigiem Copacauanæ Virginis accedit, qui trepido, quodam gaudio cum mixta veneratione corpus animumque ſuum percelli ſentiens, ſi in peccatis ſit,

ad

ad lachrymas, & delictorum pœnitentiam ſeſe prouocari non agnoſcat. Hic verè Deus Opt. Max. Matrem ſuam oſtendit *Noſtræ nequitiæ ſpongiam*, vt eam appellauit Ioannes Geometra hymno 4. de B. V: *Expiamentum macularum noſtrarum*, vt eam dixit Theophanes Nicænus in Menæis Græcor. die 16. Ianuar. *Generale Baptiſma peccatorum*, vt eam nuncupauit Albertus Magnus in Biblia Marię, *& Templum ad emundationem delictorum*, vt eam aſſeruit Petrus Abbas Cellenſis. lib. 1. de Paſſibus cap. 21. Hic nemo cum S. Sabba orat. in Menæis Græcorum die 8. Ianuarij *O Maria totius Vniuerſi Domina, animam meam miſerrimam turpiſſimis ſceleribus, ac prauo carnis dominatu oppreſſam. Tu per potentiam tuam, qua polles, in libertatem vindica, & mihi venia noxarum conceſſa gloriam immortalem quoque largire*: Quin exoret. Hic Nemo cum Damaſceno in Menæis Græcor. die 11. Ianuarij. *O Domina, quæ ventre tuo complexa es omni complexione maiorem, me de ventre*

lethi

læthi id eſt malitioſi peccati educito; eripe quoque de offenſionum procellis, atque pelagus iniquitatum mearum exſicca: Quin exaudiatur. Hic nemo cum S: Ildephonſo in lib. de Virg. Mar. cap. 12. *Rogo te ſola inuenta Ancilla Filij tui, vt iubeas mundari me ab iniquitate operis mei:* Quin petitionis ſuæ implementum non obtineat. Hic clementiſſima *D*ei Mater in omnes quidem ad ſe accurrentes miſericordiæ ſuæ theſauros, ac bonitatis diuitias effundit, ac profundit, ſed in peccatores præſertim: illis, quamuis in malo pertinaciſſimis, delictorum pœnitentiam, ſuis apud Deum precibus, impetrando. Hoc eſt Copacauanæ Virginis miraculorum frequentiſſimum, ac ferè aſſiduum, Peccatorum Conuerſio, & ad diuinam gratiam reuocatio. Vnum tantum ex innumeris hoc loci adducam in ſpecimen aliorum, Timantis inſtar, qui Cyclopis in parua tabula à ſe depicti magnitudinem indicare volens, Satyros eius pollicem thyrſo metientes, iuxta appinxit.

Religioſus quidam in Europa, cuius nomen conſultò ſiletur, quæ Deo promiſerat, ac vouerat, indignè oblitus, ſuæ profeſſionis habitu turpiter abiecto, ſeſe contulerat ad Indos. Copacauanam verò veniens, cum caſu Diuę Virginis Sanctuarium ingreſſus eſſet, tanto ſtatim, ac Sanctam Imaginem aſpexit, præteritæ maleactæ vitæ dolore perculſus eſt, vt ſubito peccata ſua Sacerdoti detegere, ac per confeſſionem aperire feſtinauerit. Ad ſuos deinde rediens innocentiſſimã deinceps vitam egit, & poſt illuſtria edita religioſarum virtutum ſpecimina, Copacauanæ Virginis beneficentia ſancto tandem fine in pace quieuit.

Et hæc quamuis oppido pauca, ſi eorum, quæ ſuperſunt, & mihi adhuc ignota ſunt, multitudinem reſpicias, de Miraculis D. Virg. Copacauanæ in nouo Orbe famigeratiſſimæ dixiſſe ſufficiat. Nullus enim imponi poſſet huic hiſtoriæ finis, ſi mira omnia, quæ Deus per Imaginem Matris ſuæ in Copacauanæ Oppido, apud Indos operatus eſt, & opera-

peratur, eſſent in præſentia recenſenda; vt merito dixerit in ſua Peruanæ Prouinciæ relatione Io.Martin. Maldonatus infra memorandus. Eum, qui referre vellet, ingentem miraculorum ac prodigiorum numerum, quæ Sanctiſſima Virgo Copacauanæ in Peruano Regno erga omne creaturarum genus oſtendit (& creaturarum, inquit, quia etiam in animalia ſuam exercet charitatem) arenas maris, ac ſtellas Cœli ad ſummam reducere tentare. Tot ſunt Copacauanæ *Virginis* in *Peruano* noui Mundi Regno mirabilia, vt eos, qui actis præfuerunt, ſatietas cæperit ſcribendi, aut colligendi; præſertim cum eiuſdem Diuæ gloriam ſatis iam propagatam teſtatamque eſſe cognoſcerent. Quæ hic retuli, non votiuis tantum tabulis ſignata omnia, & deſcripta, ſed actis comprehenſa ſunt; & quidem ante ann. 1621. quo Alphōſus Ramos, vt infra dicam, huius Diuæ Hiſtoriam Hiſpanico Idiomate in lucem euulgauit; nam alia, quæ poſtmodum acciderunt, cum nondum edita ſint, vel

ſi edi-

ſi edita, ad meæ hactenus cognitionis notitiam non peruenerint, exarare non valui. Adducere hoc loco potuiſſem Summorum *Pontific. Teſtimonia*, & Indulgentias, quæ Copacauani D. Virginis Sanctuarij (quo in tota America nullum ditius, ac præſtantius inuenitur) ſanctimoniam affirmant, & prouocant ad colendum. Exempla item illorum referre, qui cultui, ac venerationi *D.* Virg. Copacauanæ eximiè dediti fuerunt, doniſque, ac muneribus argenteis, aureis, gemmeis ſuum in eam affectum variè teſtati ſunt: necnon diſſerere de magno vndique, etiam à longinquis locis ad Copacauanam ædem populorum cõcurſu, ob crebra, vel aſſidua, quæ illic euenerunt, eueniuntque miracula; ſed his alijſque pluribus, quæ hic opportuna afferri poterant, breuitatis ſtudio cõſultò omiſſis, tantum pro huius operis coronide, de nonnullis Imaginibus ex Prototypo D. Virg. Copacauanæ expreſſis, miraculorum fama illuſtribus mentionem faciam, & nomina Auctorum,

qui

qui de eadem D. *Virgine* Copacauana, in ſuis Operibus, cum laude, & gloria, pertractarunt, ne ijs, per quos profeci, ingratus inueniar, breuiter conſignabo.

Imagiues ex Prototypo D. Virginis Copacauanæ expreſſæ.

CAPVT XIX.

IMaginem Diuæ Virginis de Copacauana, ſi magneti lapidi ſimilem dixero, à veritatis tramite non aberrabo. Sicut enim *Magnes* virtutem attractiuã ſibi à natura inſitam, annulis à ſe tactis arcanè communicat; ita D. Virginis Copacauanæ Imago miraculorum patrandorum poteſtatem ſibi à Deo factam in alias, atque alias Imagines ſibi ſimiles diuinitus transfundit, vt antiqua, & recenti experientià comprobatum eſt. In omnibus ſuis Imaginibus ſemper fuit ſui ſimilis Imago hæc, ideſt, admirabilis, & miraculoſa, nullamque puto extare Imaginem huic ſimilem ad publicum cultũ

in Templis expoſitam; quæ non patret miracula. Teſtis inter alias eſt Romana, quam (vt huius operis initio dixi) *Romæ* in Eccleſia S. Ildephonſi Patrum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini Nationis Hiſpanæ ſuperiori anno publicæ populorum venerationi expoſuit admodum Reuerendus Pater Magiſter F. *M*ichael de Aguirre. Ad hanc enim, ſtatim ac communi omnium cultui expoſita fuit, multi etiam è prima nobilitate, & præſertim non pauci miſerorum, ægrorumque confluere cæperunt, & ſuarum calamitatum morborumque remedia ab ea petentes, inſignia beneficia ac non leuia gratiarum emolumenta inde retulerunt; omnibus eiuſdem Diuæ *V*irginis Effigiem, æreis typis excuſam, aut numiſmatibus expreſſam, & victas exemplari Imagine commenſuratas, theſauri loco, apud ſe habere gratulantibus. Cæteris autem, ſilentio preſſis tantum hic loquar de duabus thaumaturgis D. *V*irginis Copacauanæ Imaginibus, vna Limæ, altera verò

rò Madriti, ſummà vtrobique fidelium religione cultis.

Imago D. Virginis Copacauanæ Limæ.

CAPVT XX.

Limæ in Paræcia del Zercado eremitorium erat incultum, ac vetus, vna cum Imagine Deiparę *V*irginis, ab exemplari Copacauanæ, deducta. Imago hæc magna erat,& pulchra,etſi propter Indorum inopiam non ſatis honorificè habita. Quodam manè, diluceſcente die, tugurij illius agreſtis tectum, ac parietes diſſipati apparuère, Imago verò *V*irginis ſub dio, Cœli inclementiæ expoſita. Nec latuit facinoris auctor, qui dedita opera peſſimoque cõſilio id perpetrarat. Audijt, quæ geſta fuerant Sãctus ille Archiepiſcopus Limanus Turibius Alphonſus *M*ogrouejus, Vir totus ex pietate, ac charitate factus, & ſignis ac virtutibus admirandus, qui à diuina

Prouidentia hoc noſtro ſæculo datus videtur, vt antiquornm Prælatorum Imaginem, quorum memoria eſt omni laude maior, moribus, ac vitæ ratione delinearet; audijt, inquam, ſummoque ſtudio preces Deo Opt. Max. eiuſque Parenti Sanctiſſimæ effudit, vt ædis ſuæ curam ſuſciperent, & vt auctorem eiuſmodi flagitij deprehendi vellent: iuſſitque idem curari per omnes *Eccleſias* Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponendo, *S*acramque Imaginem ſolemni ſupplicatione ad Cathedralem per Prouiſorem deferri: vbi pro dignitate ſeruaretur. Diuinæ Bonitatis eſt humanis rationibus effectus contrarios ex cauſis deducere. Quo tempore facinoris auctor ad ſupplicium quærebatur, eo diuina miſeratio maximè effulſit, inde gloriam maiorem Sanctiſſimæ Virgini concilians; vnde iniuria inſignior proficiſci videbatur. Etenim dum Præſulis iuſſa peraguntur; ſtatim ſacra Effigies Deiparæ Puerique inter brachia verſantis, ſudoris eam copiam emiſère, vt intra duas

horas

horas, quibus id factum eſt, duobus calicibus ſacri humoris notabilis quantitas excipi potuerit. Prodigium tota Limana Ciuitas venerabunda ſuſpexit, cui deinde acceſſère; & alia penè innumerabilia, ſiquidem memorati ſudoris vi mira, viſum cæci recuperare, claudi pedes, brachia contracta diſtendi, ægritudinis omne genus depelli. Inter eos, qui ſalutem mira planè ratione conſequuti ſunt, Lutheri ſectator numeratur, qui ob paralyſin corporis impotens, beneficijs, quæ per hanc ſacram Effigiem manifeſtiſſimè conferebantur, auditis, Catholicis illuc confluentibus, & ipſe ſe adiungens, poſtquam ad conſpectum venit, ſana me, inquit, Domina, Dei Genitricem *T*e deinde certiſſimè crediturum. *V*ix ita, cum pio hominis affectu permota *V*irgo ſtatim ſanitate illum donauit. Nec tantum corpus, ſed & mentem eius grauiori hæreſeos, ac vitiorum languore reſoluit: neque enim diuinitus corpori aduenit ſalus, anima

non antea curata. Eiurata itaque hæreſi apud Sancti Officij *M*agiſtratus, atque in gremium Romanę Eccleſiæ ritè receptus, Dei Genitrici Mancipium eodem in loco perpetuo iure ſe dedit, totumque vitæ tempus in ea ſeruitute conſumpſit. Præſul verò re, de qua paulò ſuperius memorauimus, diligentiſſimè inquiſita, certiſque auctoribus, ac teſtimonijs cõfirmata, atque ad vrbem Limam ſudore illo deportato, cætera, vti mandauerat, perfici voluit. Itaque ad Eccleſiam principem delata eſt Sacra Effigies, ſummà omnium lætitia, feſtiuitate, ac conſenſu, vbi extructo Sacello minimè ignobili, per multos annos, populorum cultu atque officijs exornata, munificentiæ diuinę theſauros cumulatiſſimè diſpenſare non deſtitit. Quoniam verò primum Imaginis huius exemplar Indorum gens Copacauanæ apud Omaſuium poſſidet, hoc vero ad illius ſimilitudinem conformatum in vrbe Lima, miraculorum non minori laude florebat, Præſulis pijſſimi

iuſſu hic etiam Societas Indorum hominum inſtituta eſt, quæ deinde ita claruit, vt pius auctor exoptarat. Illic igitur Sacra Effigies, D. Turibio Alphonſo Præſule viuo, ſeruata eſt, hic autem pietate in Deiparam eximius Antiſtes, tam proprium illud ſibi habuit Sacellũ, vt in eo Sacramenta Ordinis, & Confirmationis conferret, pluresque horas orando traduceret. Deinde, quia ædificationi nouæ Eccleſiæ Sacelli ſitus incommodabat, anno Chriſtianæ ſalutis 1617. alia Sedes cum peculiari Eccleſia delecta eſt, cis flumen, in vico D. Lazari. Aedificium Templi ex Indorum eleemoſynis excitatum eſt, eique Sacerdotalis Domus adiuncta, ne cura ſacriſque quotidianis vacaret, ita enim Archiepiſcopus D. Bartholomæus Lupus Guerrerus mandauerat. Anno verò ſalutis 1633 die 28. Decemb. Archiepiſcopo D. Ferdinando Arias de Vgarte, ProRege autem Comite de Chinchon aſſiſtentibus, Sacra Effigies, cum eius ſodalitate, ad

nouum Templum transfertur. Limæ vero Ciuitas, cœleſtis huius Dominę tot beneficijs deuincta, gratitudinis ergo quotannis, eadem die 18. Decemb. ad eandem Eccleſiam, ſupplicationem habet, quo videlicet die translatio eſt, ſudorque Virginea Imagine, de quo prędiximus, emanauit: ibique feſtum diem agens, diuinis myſterijs, dum hæc ſolemni ritu peraguntur, verbique Dei prædicationi aſſiſtit, haud immemor interea Illuſtriſſimi, ac Venerabiliſſimi Præſulis ſui Turibij Alphonſi, cuius ad viuum expreſſa Effigies ibidem tantummodo ſeruatur. Et hæc de Imagine D. Virginis Copacauanæ Limæ dicta ſufficiant.

Imago D. Virginis Copacauanæ Matriti.

CAPVT XXI.

CVm Pater Magiſter Frater Michael de Aguirre Auguſtinianus vir Dei Matrem vnicè diligens, atque ab hac, vt puto, non parum dilectus, cuius ſupra memini, ex Peruanis Regionibus Imaginem B. Virginis de Copacauana, quam Prototypo ibidem contulerat, atque admouerat, ſecum detuliſſet, eamque anno ſalutis 1652. Dominica in Albis, in Matritènſi Curia in Collegio Annuntiationis, quem vulgò dicunt Dominæ Mariæ Aragoniæ, eo quod ipſa fundatrix extiterit, ſolemni nouenario collocaſſet: ſtatim Imago hæc diuinos theſauros, cœleſtiaque dona mortalibus elargiri, ijſque coruſcare miraculis cæpit, quæ magnitudine ſua nihil non B. Virginis precibus impetrabile, & multitudine item ſua ipſius miſericordiæ ſinum omnibus apertum, ac patentem eſſe demonſtrarent.

rent. Huic Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus D. Iulius Roſpiglioſus eo tempore Apoſtolicæ Sedis, apud Catholicam Maieſtatem Nuncius, amplas Indulgentiarum elargitiones à Summo Pontifice obtinuit. Et tunc Collegium Auguſtinianum *M*atritenſe; ſub auſpicijs Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Domini D. Didaci de Arce Reynoſo. apud *T*uitienſem, Abulenſem, & Placentinã Eccleſias vigilantiſſimi Paſtoris, tanquam frequentiſſimi, ac deuotiſſimi Sacræ Imaginis D. Virginis de Copacauana cultoris, folium edidit Hiſpanica Lingua conſcriptum, quod Latinè redditum eiuſmo di eſt.

Scriptum Seruitutis, Votum, ac ſupplicatio ad Sanctiſſimam Virginem de Copacauana, Tutelarem noui Mundi Peruani, cuius Effigies frequenti ſolemnique cultu colitur in Collegio Annuntiationis, opera D. Mariæ de Aragona, Madriti exædificato.

Mater Dei dulciſſima, & amabilis.
Mater cuius ad omnes extenditur fauor.
Aeterni Patris ſingularis filia.
Mater Verbi, quod nobis dediſti hominem.
Diuini Sponſa Spiritus pulcherrima.
Templum quod Sancta ſemper colit Trinitas.
Cælum animatum, ſed Cælo capacius.
Virgo concepta in gratia ſine macula.
Antequam nata deſtinata Genitrix.
Vt vitam des, Adami tantum filia.
Theſaurorum diuinorum ærarium.
Odore miro flagrans in Cælis roſa.
Roſa ſpinarum peccatorum neſcia.

Ma-

Mater exulum filiorum.
Agni ſponſarum Mater alma Virginum.
Arbor vitæ, quæ fructum Chriſtum protulit.
Iacobi ſcala per quam ad Cœlum aſcenditur.
Lilium in quo cubat Deus atque paſcitur.
Paradiſus non vnquam morti peruius.
Reliquiarium continens Agnum Dei.
Domus Panis, quem Diua coxit Charitas.
Magnes cordium ferreorum.
Remedium contra omne genus Dæmonum.
Mater purarum animarum amabilis.
Speculum quo ſe Deus ipſum conſpicit.
Speculum quo ſeſe componit Anima.
Semita ſine qua perirem deuius.
Pro viris iuſtis turris fortitudinis.
Peccantibus refugij data Ciuitas.
In ſanctitate Dei fundata Ciuitas.
Stella, quæ nos, & ducit, & illuminat.
Aurora Solem, quæ tulit Iuſtitiæ.

Porta per quam patet ingreſſus Gloriæ.
Vbera præbens pia Mater animæ
Peccatorum tu Mater pœnitentium.
Vnica deprecatrix apud Filium.
Patrona noſtra quouis in diſcrimine
Sol radijs viuificans pulcherrimus.
Luna culparum libera defectibus.
Animarum ſolatrix in mœroribus.
Mundi ſpes in aduerſis rebus vnica.
Cauſa veræ lætitiæ veri gaudij.
Dulcedo, quæ guſtata nunquam præterit.
Theſaurus quo ditàntur cultores pij.
Mater, & pietatis, & clementiæ.
Domina cuius iuſſis obaudit Deus
Miraculorum mirandum Miraculum.
Dei forma reformandis peccatoribus.
Regina cui ſe Cœlum, & terra ſubijcit.
Cunctorum gloria decuſque mortalium
Humanæ gentis redemptrix cum filio.
Salus infirmorum Te vocantium.
Vita quæ contra mortem ſe nobis dedit
Mater ſalutis diuinæque Gratiæ.
Mater Dei ſimul, atque Mater hominum.

Alta-

Altare panem, quo diuinum offerimus.
Templum fundatum in pace Salomo-nicum.
Non plus vltra diuinæ Omnipotentiæ.
Vniuerſale terrarum præſidium
Per quam nouus adorat Mundus Deum
Remedium naturæ humanæ maximum.
Copacauanæ virgo ſignis maximà
Origo lucis, tenebrarum terminus.
Nauis inſignis, quæ Dei fidem detulit
Vſque ad Orbis terrarum fines vltimos.
Quæque diuinum panem triumphan-tem tulit.
Theſaurus Cœli terrarumque maximus
Argento, & Auro tua tutela melior.
Nam extirpatis idòlis, erroribus
Ad alterum hemiſphærium tranſtuliſti
Monarchæ regnum veri, atque Catho-lici.
Suoque Dæmonem ſpoliaſti imperio.
Conuerſæ gentis, ò Regina, & Domina
Redemptæ ad pedes tuos voluuntur ani-mæ.
Suauiſſima Maria tuos ſeruos protege,
Ad tuæ tutos deduc portum gloriæ.

Per

Per amorem quo ſemper amaſti Deum.
Per amorem quo ſemper amata à Deo.
Per ipſos Columbarum *pulchros oculos*
Per eam, quam de me curam geris anxiam.
Per cunctorum ſalutis deſiderium.
Per Ieſum atque Ioſephum
Tua dulciſſima pignora.
Ita pro Matre Dei, *pro noſtra & Domina, vterque Mundus te colat.*
Ita dilecti tui nomen filij diuinamque fidem gentes omnes accipiant.
Per fines orbis terrarum
Ita in Cælo *te ſpectemus*
Ita in Deo *fruamur inuicem.*
Ora, Mater amabilis,
Det cor nobis in Te pium
Quæ ſalutis noſtræ pignus
Diues es, atque tutum.

Maxima atque Auguſtiſſima Imperatrix Cœli, ac Terræ: Glorioſiſſima Regina Angelorum, Clementiſſima Aduocata omnium, tutum peccantium Aſylum: Filia dilecta Eterni Patris, Mater admi-

admirabilis vnigeniti ipſius Filij, Sponſa digniſſima, atque habitaculũ Spiritus ſancti Dulciſſima Maria, cuius ſuauiſſimum nomen vniuerſalem vniuerſi Dominam prædicat, Magiſtram Protectricem, ac lucem gentium, ſingulariſſimæ affectu pietatis, ac teneritudinis, Miſericordiæ tuæ magnificentiam, atque immenſitatem veneror in Imagine Copacauanẽſi rebus miris florẽtiſſima: etenim per eam in fine ſæculorum, & in conſũmatione Mundi, recognoſcuntur, experimentiſque aſſiduorum prodigiorum probantur ingentes pietatis effectus, quos in gratiam tui, Teque intercedente, ad humanæ gentis beneficium, operata eſt, atque operatur Omnipotentia Diuina, quæ in te, per Te vnàque Tecum voluit reparare, quicquid in Cœlo terraque creauit, ac diſpoſuit, vt quicquid gratiarum, ac beneficiorum humano generi conceſſura eſſet, per tuas munificentiſſimas manus diſtribueretur. Ibi igitur, Domina, quo confluunt omnes nationes ad tranſituras huius terræ opes

comparandas, inueniunt pro tua pietate Cœli theſauros magis inæſtimabiles. Mortui reuocantur in vitam: captiui libertati reſtituuntur: triſtes conſolationem accipiunt: ægri ſanitatem: peccatorum pertinaciſſimi pœnitentiam, ac veniam: Iuſti perſeuerantiam, Diuinæque gratiæ augmentum. Dæmones fugantur, omnes cœleſtes Hierarchiæ lætantur: quod Trinitatem Sanctiſſimam glorificatam videant, recepta, pioque ac ſincero cultu venerata ſanctiſſimæ Crucis myſteria atque Eccleſiæ Sacramenta: exaltatam, propagatamque ibi fidem, vbi Dæmon mendacij parens tot retrò ſæculis tyrannicum imperium ſuum conſtituerat erroribus deteſtabilibus, atque abominabilibus moribus, & Idolorum cultibus, quæ omnia iam conuerſa in adorationem ſanctiſſimi nominis Ieſu, magnamque, & piam venerationem ſublimis magnitudinis tuæ, ac pietatis, tuaque in Effigie omnes Te nationes venerantur, vt Reginam, Dominam, Propitiatorium, Remedium denique vniuerſale totius Mundi. Atque hinc hu-

militatis meæ demeritum aſſurgit, quo qui in familiam tuã adſcribar indignus fio. Spero autem in magnitudine pietatis tuæ, quod me ſub dominationem, & clientelam tuam recipies, ſiquidem ijs etiam qui adeò diſtantes erant in regione tenebrarum, nullis ex parte ipſorum antecedentibus precibus, meritis, operà, Solis Iuſtitiæ lucem cõmunicaſti Sanctiſſimum Filium tuum, fructuſque Redemptionis liberaliſſima impertiſti. Itaque . . . Ego . . licet vndequaque indigniſſimus, qui ante conſpectum tuum appaream, immensà tuà bonitate adductus, fretuſque deſiderio, atque opportunitate, quam offerre mihi dignata es, vt in tuis mancipijs numerer, toto pectore, & corde ad pedes tuos humillimè proſtratus, offero, dedo mancipoque me ipſum tibi in famulum, ac ſeruum perpetuum, vtque talis firmiter propono totius vitæ meæ tempore tibi fideliſſimè famulari, omnemque, pro virili mea, curam adhibebo, vt idem præſtent, & cæteri omnes. In ſignificationem verò atque indicium huiuſ-

huiuſmodi mancipationis, apud me deferam Roſarium tuum, atque S. & Clauum. Curabo præterea, vt omni pietate feſtiuitates tuas celebrem, præcipuè verò limpidiſſimæ Purificationis (omnium Copacauanæ celeberrimam) atque in memoriam eius ardentiſſimæ charitatis, qua Filium tuum Diuinum in templo præſentaſti, vt Sacrificium, ac Redemptio eſſet totius Mundi, Luxque ad illuminationem, vbique omnium gentiũ. Curabo ad Sacramenta Pœnitentię, ac Sanctiſſimæ Euchariſtiæ paratiſſimè accedere, & ſignificatione pietatis, eleemoſynis, atque operibus pijs, pro viribus, meas indignas preces eò dirigam, vt gentes recenter ad fidem conuerſæ in nouo Mundo, in ea confirmentur, & vt infideles, & prouinciæ, quæ vſque ad hodiernum diem, non ſunt conuerſæ eandem amplectantur. Denique, vt Idololatria toto orbe terrarum radicitus cõuellatur. Similiter quoque myſterium, ac celebritatem puriſſimæ Conceptionis tuæ peragam.

Iuramento autem ac voto me obſtringo, quatenus perpetuò, vel ſi ſanguine, ac vita ipſa profundenda ſit, ſentiam, fatebor, atq; defendam, Te in primo inſtanti, quo naturaliter eſſe cæpiſti, præſeruatam fuiſſe, ac conceptàm, abſque originali macula, adornatam verò ijs excellentijs, ac prærogatiuis, quæ Dei *Matrem decerent, eaque dignitate exigerentur. Nam ab illo inſtante, & conſequenter ab ipſa æternitate prædeſtinata fuiſti. Quod iuramentum, ac votum ea conditione emitto, vt nullatenus ab obedientia* Sedis *Apoſtolicæ ipſiuſque decretis vllo vnquam tempore alienus eſſe velim.* Verum quo *Dominæ* meæ magnitudinem, atque excellentias, qua par eſt veneratione, proſequar, ac recognoſcam, vt ab effectu meo natam, vſurpo, repetoque, vt propria verba ea, quibus Carolus S. Birgittæ Filius, ſalutem ſuam aſſeruit periclitantem. *Adeo lætor, & gaudeo, quod* Deus *amat Virginem Mariam Genitricem ſuam ſuper omnia; vt nihil omnino habeam, quod me magis delectet. Ac ſi fieri poſſet, vt*

vno

vno temporis momento ceſſaret Maria Sanctiſſima habere illam gloriam, & dignitatem, quam habet; totas ego inferorum pœnas perferrem; ne ipſius magnitudo vno quidem momento ceſſaret. Quoniam verò deſiderio meo, ac debito Te venerandi, Virgo Sanctiſſima Domina mea, impar eſt tepiditas atque indignitas, Benedico, & glorifico Te eo affectu, veneratione, encomijs, ac laudibus, quibus Te laudarunt, ac venerati ſunt per omnia ſæcula, veneranturque etiam nunc, vt Reginam ſuam, ac Dominam omnes Hierarchię Angelorum, omneſque Sancti militantis, ac Triumphantis Eccleſiæ.

O mi ſuauiſſime Ieſu, Deus meus, Domine, ac Redemptor, Fili Vnigeniti Patris, Sol Iuſtitiæ, Flos fructus, ac Fili pretioſiſſime Mariæ Sanctiſſimæ Dominæ meæ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Imperator Cœlorum Terrarumque Summe, quandoquidem Diuina Maieſtas tua propter noſtram vtilitatem, ac libertatem ad ſerui nomen de-

ſcendit, vendìque voluit: ſubditus eſſe quoque dignatus es, facere omnia paratus, quæ Maria Sanctiſſima ipſiuſque gloriosſus Sponſus Diuus Ioſephus iuberent, da mihi gratiam tuam, da auxilium Diuinum, tuiſque ſeruitijs adſcribe, ac Sanctiſſimæ Genitricis tuæ. Etenim vim ad vires addendo, præter titulos creationis, ac redemptionis quibus ſeruire teneor, hodierna die ratam habeo, ac recognoſco meam ſeruitutem nouo titulo ſerui tui, cum ſeruus ſim Sanctiſſimæ Matris tuæ Dominæ meæ, Aduocatæ meæ, & ex qua pendet ſpes ſalutis, & redemptionis meæ.

Tu vero Dulciſſima Maria Domina mea, quæ electa ad Cœli terræque principatum, dignitatem maximè, omnium ſublimem Maternitatemque Diuinam, titulo tamen Ancillæ Domini nihil prius habuiſti; quæque eo tempore, quo ardentiſſimis deſiderijs, atque altiſſimis contemplationibus, ancillari ei Virgini cupiebas, quę Mater Dei futura eſſet (alienam Te ab ea dignitate ratam) eo-

dem

dem ſalutationem Archãgeli S. Gabrielis audiſti, quandoquidem tui ipſius ancilla fieri non potes, accipe me in Seruum tuum, atque intercede pro me, vt conſequar me eſſe dulciſſimi Filij tui Ieſu Redemptoris mei.

Tu verò Sanctiſſime Patriarcha Ioſeph, qui electus, atque exaltatus fuiſti inter omnes homines, vt Sponſus eſſes omnium optimę Sponſæ, Pater adoptiuus, Tutor, Defenſor, Conſolator, ac Vigil ipſius Dei Filij, eaque in altitudine poſitus, plurimi ſemper feciſti, quod ſeruus, ac mancipium glorioſiſſimæ Marię, ac Ieſu eſſes; intercede pro me, vt admittar, & mihi concedatur me eſſe famulum emptitium Ieſu, tuæque Sanctiſſimæ Sponſæ Mariæ: cumque tu ſis ipſius Sponſus digniſſimus, accipe me in ſeruum, me enim hodie dedo, ac pono ſub auſpicijs tuis, vtque ad meum peculiarem Aduocatum, ac Dominum ad Te, in omni mea neceſſitate, omnique tempore, accurram præcipua veneratione, ad imitationem *Cæleſtium*

omnium, ac beatiſſimorum Spirituum, qui (vt Sancta inquit Gertrudes) *audito ſanctiſſimo nomine* Ioſephi*, inclinant ſe, ac venerantur, ob magnam, quam obtinet dignitatem, nimirum, quia Sponſus ſit* D*ei Genitricis*.

Atque vt omni tempore conſtet hæc mea firma voluntas, ſcriptum ſeruitutis erga Ieſum, Mariam, Ioſephum, nomine meo ſubſcribo. Matriti Die, Menſe, Anno &c.

Porrò de P. Magiſtro Michaele de Aguirre Auguſtiniano Prouinciæ Peruntinæ alumno, Limæ Sacræ Theologiæ Interprete primario, à quo *D*eiparæ Virginis Imago de Copacauana Matriti primum, poſtea Romæ piè fuit ad colendũ collocata, hæc cecinit Vir Eruditiſſimus, & doctiſſimus totuſque ad gratias atque vrbanitatem factus, F. Nicephorus Sebaſtus Meliſſenus Ord. Eremitar. S. Auguſtini Sacræ Theologiæ Magiſter.

Surgit ab Occidua, quem vidit Lima docentem.
Europam repetens, doctus Aguirre plaga.
Per quem Virginea delata eſt Matris Imago
Inclyta, quam Tellus Copacauana colit.
Quodque hæc Matriti nobis, Romæque colatur,
Aeternum faciet nomen, Aguirre, tuum.

Auctores, qui de Diua Virgine Copacauana meminerunt.

CAPVT XXII.

PORRÒ de Virgine Copacauana apud Peruanos in nouo Orbe Miraculis, portentiſque celeberrima, cum laude, & gloria inter alios meminere Felix Aſtolphus Italus Bononienſis Canonicus S. Saluatoris, Vir pietatis, & eruditionis gloria inſignis in Opere Italica Lingua conſcripto, Hiſtoria Vniuerſalis Imagi- inscriptoq; num

num miraculis Illuſtrium Magnæ Dei Matris in omnibus Mundi partibus cultarum lib. 14. & 15. Franciſcus *B*encius Societ. Ieſu Italus ab Aquapendente Vir maximè pius, & inſigniter eruditus in Annalibus de Hiſtoria Sedis Iulienſis Prouinciæ Peruanæ. Ioannes Bonifacius eiuſdem Societ. Hiſpanus Ciuitatenſis Vir Eruditione nitidiſſimus, & multo religioſarum virtutum ornamento pretioſus, in Hiſtoria Virginali lib. 2. cap. 13. Antonius de Leon Pinelus Hiſpanus in Iuriſperitia Licentiatus, Supremi Indiarum Senatus, & earundem Cameræ à relationibus in vita Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Domini *D*. Toribij Alphonſi Mogroueij Eccleſiæ Limanæ Antiſtitis de cuius Beatificatione nunc in *R*omana Curia ſeriò agitur cap. 8. Fr. Anton. de Calanchà Ordinis *E*remit. Sancti Auguſtini Sacrę Theologiæ Magiſter Vir doctiſſimus, & inter illuſtres eiuſdem Ordinis Scriptores meritò recenſitus Tom. 1. Hiſtorię *P*rouinciæ ſuæ Perũtinę lib. 4. cap. 14. vbi etiam

in

in ſecundo eiuſdem Hiſtoriæ Tomo ſe de Copacauanæ Virginis ſanctuario fusè, ac latè tractaturum fidem obligat ſuam. Ioachimus Brullus Sacræ Theologiæ Doctor, ac Prouincialis, Augustinianus, ingenio, ac ſcientia clariſſimus in libro Hiſtoriæ Peruanæ, quem Latina Lingua à ſe conſcriptum anno ſalutis 1651. in lucem edidit, & Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino FABIO CHISIO, tunc Nuncio, ac Sedis Apoſtolicæ Legato ad vniuerſalem Germaniæ pacem pertractandam miſſo, nunc autem Diuinà fauente gratia ALEXANDRO VII. Pontifici Optimo Maximo, dedicauit. Thomas de Herrera Hiſpanus Auguſtinianus Sacrę Theologiæ Magiſter, & in Supremo Sanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum Senatu Qualificator, Vir noſtro ſæculo eruditionis, & doctrinæ laude ſpectatiſſimus, in ſuo Alphabeto Auguſtiniano, Littera C. & P. Ioan. Martin. Maldonatus Hiſp. Auguſtinianus, Diuini Verbi Prædicator eximius Definitor Generalis, & Prouin-

ciæ Peruntinæ in Romana, & Matritenſi Curia Procurator, in Relat. eiuſdem Prouinciæ Hiſpanico Sermone conſcripta, ac *Romæ*, Franciſci Monetæ typis euulgata anno 1651. Et denique omnes propemodum Hiſtorici, Auctoreſque recentiores, qui de rebus Peruanis in nouo Mundo ſcripſère. Videatur Solorzanus, de Cura Politica Indiarum. Salinas lib. de reb. magnificis *Limæ*. Didacus de Corduba Franciſcanus in Theatro *Limæ*, & alij plures, quos longum eſſet in præſentia recenſère. Peculiaria autem de D. Virgine Copacauana opera compoſuerunt F. Alphonſus Ramos Gauilàn Auguſtinianus Prouinciæ Peruntinæ alumnus, vir pietatis, & doctrinę laude inclitus, mihi alias in Bibliotheca Mariana celebratus, qui Hiſpanico Idiomate opus edidit ſub hoc titulo, Hiſtoria celebris Sanctuarij Copacauanæ, & rerum ibi mirabilium, quod Opus Theologorum iudicio eius Regni doctiſſimorum expenſum, & probatum, prodijt primo *Limæ* anno 1621. Allegat au-

tem

tem Informationes atque inſtrumenta Authentica, quę extant in Archiuijs Copacauanæ, atque ex eo præſertim hanc Summariam Relationem deſumpſiſſe, non inficior. Ferdinandus item de Valuerde Peruntinus Auguſtinianus, Vir doctrina, & Poeſi maximè valens, qui de Sanctuario Dominæ noſtræ de Copacauana poema Heroicum Patrio Idiomate cecinit, Limæ editum anno huius ſęculi 1641. in quarto, & alij, qui hactenus ad meę cognitionis notitiam non venerunt.

FINIS.

INDEX

Capitum huius Operis.

SCribendi Operis Occaſio. Cap. 1. pag. 29

D. Virginis Copacauanæ in Peruano Noui Mundi Regno celeberrimæ Origo. Cap. 2. pag. 35

Diuæ Virgnis Copacauanæ Miracula. Cap. 3. 43

Miracula circa ipſam D. Virginis Copacauanæ Effigiem. Cap. 4. 45

Mortui ad vitam reuocati. Cap. 5 49

Obſeſſi à Dæmone liberati. Cap. 6 52

Cæci illuminati. Cap. 7 54

Claudi, & contracti ſoſpitati reſtituti. Cap. 8 56

Saucij ex læthali vulnere perſanati. Cap. 9. 62

Muti loquelæ, & Surdi auditui redditi. Cap. 10 64

A ſubmerſione in aquis erepti. Cap. 11. pag. 65

In

In caſu, præcipitio, ruinaque adiuti. Cap. 12 68

A laqueo, venenoque ſeruati. Cap. 13. pag. 74

A bello, incendio, fulmine, peſte, beſtijſque incolumes cuſtoditi. Cap. 14. 76

Apoplexia, Epilepſia, *ſanguinis fluxu, lepra, hernia, pleuritide, hydropiſi, diſenteria, ſupparatione, & febri, faucium, & renium morbo, ſtomachi ægritudine, capitis, & præcordiorum dolore, pectoris vitio, calculo, alijſque infirmitatibus laborantes ſanitati reſtitati.* Cap, 15. pag. 78

Scientia, *& linguarum dono aucti.* Cap. 16. 84

Agrorum fertilitate, aëris ſerenitate, ac vino optimo ex corrupto donati. Cap. 17 87

Peccatores *ad Diuinam Gratiam reuocati.* Cap. 18 91

Imagines *ex Prototypo D. Virginis Copacauanæ expreſſæ.* Cap. 19 97

Imago *D. Virginis Copacauanæ* Limæ. Cap. 20 99

Ima-

Imago D. Virginis Copacauanæ Matriti. Cap. 21 105
Auctores, qui de Diua Virgine Copacauana meminerunt. Cap. 22 121



INDEX

Rerum magis notabilium huius operis.

A

ADuocata omnium clementiſſima B.Virgo. 111
Alphonſus Ramos Hiſtoriam D.Virginis Copacauanæ Hiſpanico ſermone ſcripſit. 124
Alphonſus Viracocha Ingha de Imagine D. Virginis Copacauanæ benemeritus. 38. 39. 40
Altare panem, quo Diuinum offerimus B. Virgo. 110
Ambroſius Landuccius Epiſcopus Porphirij, & Sacrarij Apoſtolici Præfectus in D. Virginem Copacauanam pius. 30
Ananſaij in Deiparam, quam pij. 87. 88. 89
Antonius de Calanchà ſcripſit de Diua

Virgine Copacauana. 122
Antonius de Leon ſcripſit de D. Virgine Copacauana. 122
Annulus D. Virgini Copacauanæ oblatus. 46
Apoplexia ope D. Virginis Copacauanæ fugata. 79
Apparitiones B. Virginis varijs donis factæ. 54. 55. 60. 62. 66. 69. 72. 73. 75. 76. 80. 84
Arbor vitæ, quæ Chriſtum fructum protulit B. Virgo. 108
Ars vera, & ſolida regnandi Deiparæ cultus. 11.
Aſylum tutum peccantium B. Virgo. 111.
Auctor Imaginis D. Virginis Copacauanæ quis? 38. 39. 40.
Aurora ſolem iuſtitiæ ferens B. Virgo. 108

B

BAptiſma generale peccatorum B. Virgo. 92
Baſilica S. Mariæ Maioris de Vrbe quantum amata à Philippo IV. 13. 14.

Bel-

Bellum extinguit D. Virgo Copacauana. 76.
Beſtiæ non nocent ope D. Virginis Copacauanæ. 77. 78

C

Camelus mortuus ad vitam reuocatus D. Virginis Copacauanę beneficio. 52
Canticum de Chriſto patiente, & reſurgente à B. *Virgine* dictatus. 84. 85. 86
Cauſa veri gaudij B. *Virgo*. 109
Charitas Philippi *IV*. erga B. *Virginem* Quanta. 24.
Chucuiti pluuiam à D. *Virgine* miraculosè obtinent. 89
Chucuiti Prouincia in nouo orbe. 35. 36.
Ciuitas Dei in ſanctitate fundata B. *Virgo*. 108
Ciuitas refugij peccantibus data B. *Virgo*. 108
Claudi ſoſpitati reſtituti à D. *Virgine* Copacauana. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62.
Cœci illuminati ope D. *Virginis* Copacaua-

cauanæ. 54. 55.
Cœlum animatum, ſed cœlo capacius B. Virgo. 107
Compedes mancipiorum Deiparæ *Virginis* geſtat Philippus IV. 12
Conceptio Immaculata B. *Virginis* quo affectu culta à Philippo IV. 14. 15. 16. 17. pro illa votum. 116
Congregatio Dei Matris, quo anno Lucæ erecta 33
Contracti ſoſpitati reſtituti ope D. *Virginis* Copacauanę. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62
Copacauanæ Oppidum in nouo Orbe, vbi ſitum, 36. 37. ab Imagine B. *Virginis* famigeratiſſimum. 41.
Cultor magnus Dei Matris Philippus IV. 7. 8. & deinceps.

D

Didacus de Arce Reynoſo B. Virginis Copacauanæ cultor deuotiſſimus. 106
Diſenteria laborans ope B. *Virginis* Copacauanæ ſanatus. 80. 81

Dolores varij ope D. Virginis Copacauanæ depulſi. 81 82 83
omitta cuius iuſſis obaudit Deus B. Virgo. 109.
Domina totius vniuerſi B. virgo. 92.
Domus panis, quam Diua coxit charitas B. virgo. 108
Dona D. Virgini Copacauanæ oblata 46.52.90.91.96
Dulcedo, quæ guſtata nunquam præterit B. Virgo. 109

E

Effigies Pueri Ieſu miraculoſa. 45. 46.
Epilepſia B. Virginis Copacauanæ beneficio curata. 79
Epiſtola dedicatoria Philippo IV. Hiſpaniarum Regi. à pag. 7 ad 28.
Epiſtola in manu B. virginis Copacauanæ collocata infirmum ſanat. 46.47
Expiamentum macularum noſtrarum B. virgo. 92

F

FEbris fugata ope B. virg. Copacauanæ. 81.
Felix Aſtolphus ſcripſit de B.virgine Copacauana. 121.122
Ferculum *B.* virginis in medijs pluuiis non madefactum. 89
Ferdinandus de *V*aluerde de B.virg. Copacauana Opus compoſuit. 125.
Fertilitas agrorum ope *B.*virg. Copacauanæ. 87. 88.89.
Feſta *B.* virginis, qua pietate culta à Philippo I*V*. 21.
Feſtum *B.* virginis Armorum Hiſpaniæ Protectricis. 20.
Feſtum Conceptionis *B.* virginis ſolemniſſimum Matriti. 15. 16
Feſtum *N*ominisMariæ Philippi I*V*.opera in Hiſpania inſtitutum. 12.
Feſtum Præſentationis *B.* virginis quomodo cultum à Philippo I*V*. 12.
Feſtum Purificationis *B.* virginis. 115.
Filia Adami tantum, vt det vitam *B.*virgo. 107.

Filia

Filia ſingularis æterni Patris *B.* virgo 107. 111.

Fluxus ſanguinis ope B. virginis Copacauanæ amotus. 79

Franciſcus Bencius laudatus. 122.

Franciſcus Titius Iupangue auctor Imaginis *B.* virginis Copacauanæ. 38. 39. 40. 41. 42

Fulmen innocuum ope B. virginis Copacauanę. 77.

G

GEnitrix deſtinata, antequam nata B. virgo. 107.

Gloria cunctorum mortalium B. virgo. 109

Goſipitium Imagini B. virginis Copacauanæ admotum infirmis ſalutare. 65

Guanaccapac Ingha quis? 37.

H

HAbitaculum Spiritus ſancti *B.* virgo. 112

Hernia curata ope B. virg. Copacauanę 79. 80.

Hiſtoria B. virginis Copacauanæ, qua occaſione compoſita. 32. 33.
Hydropiſia amota auxilio B. virg. Copacauanæ. 80
Hymnus de Paſſione Domini à *B.* virg. dictatus. 60. 85

I

IDea Marianæ pietatis dicitur Philippus *IV.* 11.
Ieiunia Philippi IV. in peruigilijs feſtorum B. Virginis. 20.
Imago *B.* virginis Copacauanę in nouo Mundo miraculorum gloria venerabilis. *31. 32. 33. 34.* eius origo deſcribitur. *35. 36. 37. 38. 39.* 40. 41. in Copacauanæ oppido quando collocata. 42. 43. eius miracula, afferuntur à pag. 43. ad pag. 105.
Imago B. virginis Copacauanæ Romę. 29. 97. 98. item Limę 99. 100. 101. 102. 103. item Matriti. 105. 106. 107
Imagines ex prototypo B. virginis Copacauanæ expreſſæ ſemper miraculoſæ. 97. 98. 100. 101. 102. 105.

Incen

Incendium extinguit B. virgo Copacauana. 76. 77
Inghæ apud Peruanos quid? 36. 37.
Ioachimus Brullus laudatus. 123.
Io. Bonifacius laudatus. 122.
Io. Leonardus laudatus. 27. 28.
Io. Martin. Maldonatus laudatus. 123. 124
S. Ioſephi Sponſi B. virginis Encomium. 119.
Iucunditas noſtra incomparabilis B. virgo. 34
Iulij Roſpiglioſi Archiepiſcopi Tarſenſis, erga B. virginem Copacauanam pietas. 30 31. 106.
Iuramentum pro Conceptione B. virginis. 15. 116.

L

Lampas argentea ſex millium penè librarum ardens ante Imaginem B. virginis Copacauanæ. 90.91
Lauretana B. virginis Eccleſia, quo dono aucta à Philippo IV. 13

Le:

Legatio Philippi IV. pro Conceptione B. Virginis . 15
Lepra curata ope B. virginis Copacauanæ. 79.
Lilium in quo cubat Deus, atque paſcitur B. Virgo. 108
Linguarum dono per D. Virginem Copacauanam aucti. 86. 87.
Litteræ ad B. virginem Copacauanam ſcriptæ infirmis ſalutares. 46. 47.
Lucenſis Ciuitas ſub Auſtriaca protectione libera. 27. 28
Luna culparum libera defectibus B. virgo. 169.
Luterani mira conuerſio ope B. virginis Copacauanæ. 101. 102.

M

Magnes cordium ferreorum *B* virgo. 108
Mancipium Deiparæ virginis Philippus IV. 10. 12. 26
Maria Deipara origo verarum Mundi hilaritatum. *Vide* origo. Miraculum

lum miraculorum. *Vide*.Miraculum Theſaurus, quo nihil in orbe pretioſius. *Vide*. Theſaurus, & ferè ſingula huius Indicis verba.

Mater dicitur B. virgo. 107. 108. 109. 110. 111

Menſuræ Imaginis B. virginis Copacauanæ multorum malorum remediũ efficax. 52.63.64.66.67.75.80.83. In igne ſeruatur illæſa. 77

Mercatori cuiuſdam erga B. virginem Copacauanam pietàs eximia. 91. 90.

Michael deAguirre Auguſtinianus de B. virgine Copacauana benemeritus. 31. 32. 97. 98. 105. 106. 120. 121

Miracula Beatæ virginis Copacauanæ in Peruuia. à pagin. 43. ad pag. 105

Miraculum dicitur Beata virgo: 5.6. 109

Morbi varij ope B. Virg. Copacauanæ curati. 82.83.

Mortui ad vitam reuocati Beatæ Virginis Copacauanæ beneficio. 49. 50. 51. 52.

Muni-

Munificentia Philippi IV. in Templa B. virginis. 21. 22.
Muti loquelæ redditi B. virginis Copacauanæ auxilio. 64. 65.

N

NAuis dicitur B. virgo. 110
Nicephorus Sebaſtus Meliſſenus laudatus. 120.
Nomen Mariæ ſolemni feſto à Philippo IV. honoratum. 12
Non plus vltra Diuinæ Omnipotentiæ B. virgo 110
Nouendialia ante Imaginem B. virginis Copacauanæ infirmis ſalutaria. 54 55. 57. 58. 59. 60. 61. 67. 80. 82

O

OBſeſſi à Dæmone liberati per D. virginem Copacauanam. 52. 53
Oleum ante Imaginem Beatæ virginis Copacauanæ ardens non conſumitur. 49. infirmis ſalutare. pag. 60.

60. 79. 80. 81.
Omaſuyum in nouo Orbe. 35. 36
Origo dicitur B. virgo. 5. 110
Origo B. virginis Copacauanæ. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43

P

PAllium Imaginis B. virginis Copacauanæ capitis dolorem fugat. 82
Paradiſus non vnquam morti peruius B. Virgo. 108.
Patrona noſtra, quouis in diſcrimine *B.* virgo. 109
Peccatores ad diuinam gratiam per Beatam virginem Copacauanam reuocati. 47. 48. 54. 91. 92. 93. 94. 101. 102.
Pecus muta preces articulatè recitat. 86.
Peregrinationes ad Templum *B.* virginis Copacauanæ. 60. 63. 66. 72. 73. 83.
Peſtis fugata auxilio *B.* virginis Copacauanæ. 77
Philippi IV. Hiſpaniarum Regis erga Dei-

Deiparam virginem pietas eximia, à pag.7. vſque ad 28
Pleuritides curatæ ope B. virginis Copacauanæ. 80
Pluuia ab Ananſaijs per Beatam virginem Copacauanam impetrata. 87 88. 89.
Porta per quam patet ingreſſus gloriæ. *B.* virgo. 108.
Præſidium vniuerſale terrarum *B.* virgo. 110.

R

REdemptrix humanæ gentis cum Filio *B.* virgo. 109
Regina cui ſe Cœlum, & Terra ſubiecit *B.* virgo. 109
Reliquiarium continens Agnum Dei *B.* virgo. 108.
Remedium contra omne genus *Dæmonum* B. virgo. 108
Remedium naturæ humanæ maximum *B.* virgo. 110.

*R*oſa in cœlis miro flagrans odore *B.* virgo. 107
Roſa ſpinarum peccatorum neſcia. 107

S

SAcellum B. virginis Copacauanæ Limæ. 103
Sacellum *B,* virginis de *S*acrario Toleti à Philippo IV. ornatum. 19. 20
Scala Iacob, per quam ad Cœlum aſcenditur B. Virgo. 108
Scientiæ dono à *B.* virgine Copacauana aucti 84. 85. 86
*S*criptum ſeruitutis in honorem *B.* virginis Copacauanæ. 107
Semita ſine qua deuij puniremur B. virgo. 108
Sepulchrum *B.* virginis à Philippo IV. honoratum. 20
Serenitas aëris per *B.* virginem Copacauanam. 89 90.
Societas Indorum *L*imæ ſub titulo *B*eatæ virginis Copacauanæ. 103
Sodalis ſodalitatis Mancipiorum Deiparæ

ræ virginis Philippus IV. 12. item ſodalitatis Conceptionis immaculatæ. 15.
Sol pulcherrimus *B.* virgo. 109
Solatrix animarum in mœroribus *B.*virgo. 109
Speculum dicitur *B.* virgo. 108.
Spes Mundi vnica in rebus aduerſis *B.* virgo. 109
Sponſa diuini ſpiritus pulcherrima *B.*virgo. 107.
Stella nos ducens, & illuminans *B.*virgo, 108.
Sudor ex effigie *B.* virginis Copacauanæ emanans. 101. 102.
Supplicatio annua Eccleſię *Limenſis* in honorem *B.*virginis Copacauanæ. 104.
Surdi auditui redditi *B.* virginis Copacauanæ auxilio. 64. 65.

T

TEmpla *B.* virginis à Philippo IV. donis aucta. 21. 22.

Tem-

Templum ad emundationem delictorum *Beata* virgo. *92*
Templum Salomonicum in pace fundatum *B.* virgo. 110.
Templum S. Mariæ de Atocha Matriti. 12. 21. 22. 23. 24.
Templum dicitur *B.* virgo. 107.
Templum Solis in nouo Orbe celeberrimum. *36. 37*
Theſaurus quo ditantur cultores pij *B.* virgo. 109.
Theſaurus, quo nihil in orbe pretioſius *B.* virgo. *9. 34*
Thomas de Herrera laudatus. 123
Titicaca Inſula in nouo Orbe. *35. 36. 37.*
Tituli varij *B.* virginis. 107. 108. 109. 110 111. 112.
Topa Ingha Iupangue quis fuerit. *97*
Torques aureus *B.* virgini Copacauanæ oblatus, qua de cauſa ab ipſa reiectus? *56*
Spongia noſtræ nequitiæ *Beata* virgo. *92*.
Turibij Alphonſi Archiepiſcopi Limani

erga

erga *B.* virginem Copacauanam affectus . *99*.100.101.102.103.104. de eius beatificatione agitur in Curia Romana . 122

Turris fortitudinis pro viris iuſtis *B.* virgo . 108.

V

VEſtis Beatæ virginis Copacauanæ vulnus detergit . *64*. capitis dolorem depellit. 82.

Vinum corruptum à Beata virgine Copacauana in optimnm mutatum. 90.

Vita contra mortem Beata Virgo . 109.

Votum ad Beatam virginem Copacauanam noui Mundi Peruani tutelárem . 107.

Votum Philippi IV. pro Conceptione B. virginis 15

Votum pro Conceptione Beatæ virginis. 116.

Vrinſaij pij eſſe in virginem admonen-


nentur. 89.
Vulnera læthalia à Beata virgine Copacauàna, perſanata. 62. 63. 64.

FINIS.



Errores annotati.

Fol. 9. lin. 7. benigna l. benignè
fol. 13. lin. 3. munumentum l. monumentum
fol. 38. lin. 18. virachocham. l. viracocham
fol. 49. lin. 8. Copano. l. Copacauano.
fol. 98. lin. 20. victas. l. vittas.



c

10
HA 656
M358J